AMOENITATES LITERARIÆ,

Quibus

VARIÆ OBSERVATIONES,

Scripta item quædam anecdota & rariora Opuſcula exhibentur.

TOMUS QUINTUS.



FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud DANIEL. BARTHOLOMÆI,
MDCCXXVI.

LINGUE E LETTERATURE MODERNE
PA 5
3645
Digitized by Google

MAGNIFICO, GENERO-SISSIMO AC CONSVL-TISSIMO DOMINO,

DOMINO

IOANNI GEORGIO DE LVPIN,

INCLVTAE REIP. MEM-MIMGENSIS

CONSVLI H. T. REGENTI

DE PATRIA PLVRIMIS NO-MINIBVS IMMORTALITER MERITO

Digitized by Google

MAECENATI AC STVDIORVM SVORVM PATRONO DEMISSE VENERANDO

Publicum hoc devotiſſimi cultus monumentum ea, qua decet, animi reverentia ſtatuit

J. G. Schelhornius,
Scholæ patriæ Conrector,
& Reip. Bibliothecarius.

Pa-

PAtieris haud dubie, VIR MAGNIFICE, quæ TVA eſt inſignis ac laudatiſſima indulgentia, ut TVIS ſub auſpiciis hoc, quicquid eſt, opellæ in lucem producam, ſimulque devotiſſimum, quo TE jure venerabundus ſuſpicio, animi cultum teſtatum fa-

ciam omnibus. Cujus mei conſilii cauſas habeo ſatis graves & ſingulares, non procul arceſſendas, aut conquirendas anxie. Efflagitant id immortalia in patriam communem merita; jubent inclutæ, quibus eximie ornatus es, virtutes: imperat exoptatiſſima, qua mea ſtudia promovere non dedignaris, benevolentia.

TV, VIR GENEROSISSIME, gloriam Illuſtris LV-

LVPINIANAE GENTIS, quæ non heri demum aut nudius tertius de Memminga noſtra optime mereri cœpit, verum ab aliquot retro ſeculis publicæ ſalutis cuſtodiam curamque geſſit haud infeliciter, non ſuſtentas ſolum egregie, ſed & ad ſummum auſpicato provehis apicem. TIBI eum honorem, quem Roma, Orbis domina, maximum olim eſſe duxit, ac il-

illum nonniſi paucis, iisque rerum præclare geſtarum laude florentiſſimis, tribuit, jam dudum communis omnium bonorum civium vox decrevit, ut PATRIAE BONOQVE PVBLICO NATVS haud injuria dicaris. TE curia ornamentum, patria præſidium & dulce decus ſuum, religio defenſorem, afflicti portum ac perfugium, conſilii indigi oraculum, Muſæ Pa-

Patronum lubentes meritoque ſalutant. In TE venerantur omnes perſpicacem in providendo prudentiam, felicem in expediendo ſolertiam: in TE mirantur, quod Plinius non minus difficile quam magnum eſſe cenſuit, plurimum comitatis ſummæ gravitati adjunctum, & ceteras virtutes, quibus TE pridem cunctis reddidiſti venerabilem.

TVVM favorem & mea qualiacunque hactenus plus ſimplici vice experta ſunt ſtudia: ipſæ quoque hæ Amoenitates litterariæ TE Promotore, TE Patrono gaudent. Quod enim tenelli mei conatus TIBI haud diſpliceant, cum aliis tum hoc luculenter demonſtratum dediſti, quod in eorum incrementum gratioſe mihi ſuppeditare placuit anecdota quædam, eaque in-

in autographo, in diſſertatione, quam concinno, de hiſtoria Confeſſionis Tetrapolitanæ, uſui mihi futura, aliorumque ſpem excitare jucundiſſimam: quare hæc opella in venerabundi & grati animi mei pignus ſacra TIBI devotaque eſſe cupit quam maxime. Accipe illam, MAECENAS, benevola & placida mente, mihique propenſam TVAM voluntatem

tem perpetuo conſerva. Ea enim ambitione me teneri fateor, ut conſtantem aliquem inter obſequentiſſimos TVOS clientes locum cupidiſſime affectem.

DEus TE, VIR GENEROSISSIME, omnium bonorum affluentia proſperet, ac patriæ in ſeros usque annos præſtet incolumem. Dabam Memmingæ. A.R.S. cIↃ IↃCCXXVI. d. 6. April.

JO.

Jo. Lockius in Epiſtola ad Lectorem,

aureo de Intellectu humano operi præmiſſa:

Homines ſententiis & guſtu tantum a ſe invicem diſcrepant, ut difficile ſit librum invenire, qui placiturus & diſpliciturus ſit omnibus.

Contenta hujus Tomi.

I. *Diſſertatio de Soloeciſmis literariis.* p. 1.
II. *Dürrii Diſſ. epiſtolica de Jo. Fauſto.* p. 50.
III. *D. Jo. Aventini Annalium Epitome, variisque ac variantibus Editionibus.* p. 81.
IV. *Petri Lambecii Commentariorum de Biblioth. Cæſar. Lib. IX. fragmentum.* p. 97.
V. *Marci Velſeri Monumentorum Auguſtan. Supplementum* p. 116.
VI. *Analecta ad Hiſtoriam Fr. Joſ. Burrhi.* p. 141.
VII. *Tabulæ Donationis Bibliothecæ Huetii.* p. 164.
VIII. *Epiſtolæ quædam ineditæ.* p. 177.
IX. *Electa epiſtolica.* p. 202.
X. *Vita Bartholomæi Bertelini, Paſtoris quondam Memmingenſis.* p. 221.
XI. *Diſſertationis de libris rarioribus Continuatio.* p. 239.
XII. *Addenda & emendanda.* p. 297.

I. DIS-

I.

DISSERTATIO
DE
SOLOECISMIS LITERARIIS.

§. I.

De Soloecismis literariis ſive craſſis erroribus a nonnullis in re literaria commiſſis jam acturo haud anxie exquirendæ ſunt rationes, quibus hujuſce inſtituti veniam a te exorem. Præeuntem enim hac in re præter alios habeo Virum Celeb. Mich. Lilienthalium, qui eodem de argumento commentationem Selectis hiſtoricis & literariis (*a*) inſeruit, lectu jucundiſſimam erudito-

(*a*) Tom. I. p. 315. ſqq.

ditorumque plauſu exceptam. Nec vero abs re ejusmodi ſphalmata colliguntur ac virgula notantur cenſoria. Nam licet, meæ quoque imbecillitatis memor, in vaſtiſſimo hiſtoriæ literariæ ſtudio facillimum eſſe lapſum, atque adeo impunitatem levioribus erratis haud difficulter concedendam probe norim: quis enim tam Lynceus ſit, qui in ſalebroſo hoc atque ampliſſimo campo nihil offendat, nusquam incurrat? Attamen non iniquum eſſe arbitror, craſſiores ſoloeciſmos colligere, ut aliorum hallucinationibus moniti cautiores nos evadamus.

§. 2.

Eum igitur in finem primum notabo illos, qui ex libris eorumque titulis oſcitantia non facile excuſanda fecerunt homines. Agmen hic ducat Albertus de Eyb, Pio II. Pontifici Maximo olim a cubiculis. (*b*) Licet enim ejus ævi, quo rei literariæ ſtudium neglectum fere jacebat, hominibus non adeo exprobrandos eſſe hujus farinæ ſaloeciſmos lubens largiar: is tamen error, cujus

(*b*) Teſte Jo. Trithemio de Scriptor. Eccleſiaſt. f. 198. edit. Hamburg. 1718.

cujus heic meminiſſe juvabit, veniam haud mereri videtur, quod Albertus illius συγχρονος fuerit, quam ridenda hallucinatione, titulo libri deceptus, ex viro in hermaphroditum transformavit. Scilicet Antonius Beccatellus, origine Panormitanus, celebratiſſimi ſuo tempore vir nominis, præter alia feſcenninos ſcripſit verſus, quos in unam congeriem collectos *Hermaphroditi* titulo inſignivit, Coſmoque Medici dicavit. De iis ita Anonymus (*c*) Auctor notarum ad poëmata Sannazarii p. 202. ſq. edit. Amſtelod. 1689. (*d*): *De Hermaphrodito quod dicit* (Gyraldus) *non eſt de nihilo: ego enim legi manu deſcriptum (neque enim unquam eſt typis excuſus) adeo ſpurcum, adeo abominabilem, ut nihil ſupra. Verſus deinde ipſi vix ſunt tolerabiles, tantum abeſt, ut laudem aliquam mereantur. Inſcribitur autem Hermaphroditus, eo quod utriusque ſexus membra genitalia utriusque libelli omnem materiam faciant. Hæc qui patienter legit, næ illum oportet eſſe hominem frugi.* Ex hoc

(*c*) quem Bernardus Moneta Janum Brokuſium eſſe ait in Menagian. Tom. IV. p. 441. edit. Amſtelod. 1716.

(*d*) Verba hæc allegavit Celeb. P. Bælius in Diction. Tom. III. f. 2162. art. PANORMITA not. (*I*).

igitur libro aliquot verſus producit Albertus de Eyb in Margarita ſua Poëtica, eosque ex *Joanne Antonio Hermaphrodita* hauſtos eſſe ridicule aſſerit, notante elegantiſſimi ingenii viro Bernardo Moneta (*e*) (de la Monnoye).

§. 3.

Succedat huic ſuo quodam jure Præſul ille, qui pari imo longe majori inſcitia *ex Clementinis & Novellis meretrices* effecit. Audiamus ea de re Henricum Stephanum (*f*): *C'eſt aſſez parlé des ſimples preſtres ou moines: parlons des prelats. Il eſt certain qu'ils ont bien ſecondé en ceſt endroit les ſimples preſtres: tesmoin celuy qui ayant alleguer les loix qu'on nommoit, Clementina & Novella, ſe mit en tres grande cholere de ce qu'on luy amenoit le tesmoignage de paillardes.* Cui jungendus eſt ſacrificulus ille, qui de *Decalogo* quæſitus, eum hominem frugi, pietatis & æqui ſtudio clarum, ſpectatumque virum fuiſſe reſpon-

(*e*) Menag. Tom. IV. p. 442.

(*f*) In libro, hodie rarius obvio, quem inſcripſit: *L'Introduction au Traite de la Conformité des Merveilles Anciennes avec les modernes: ou Traite preparatif a l'Apologie pour Heredote.* p. 358.

ſpondit (*g*). Nec reticendus hic eſt Morerius, celebris Dictionarii hiſtorici ſcriptor, qui ex Δωρω Βασιλικω, titulo libri, a Jacobo Britanniæ Rege ad filium ſcripti, autorem *Dori Baſilici* nomine uſum, fabricavit, atque ita Pſeudonymorum numerum inepte auxit, notatus propterea haud immerito a clariſſimi nominis Viro, Jo. Gottlieb Krauſio (*h*). Pari hallucinatione Jo. Caſpar Eberti (*) ex *Antoniana Margarita*, titulo operis a Gomezio Pereira compoſiti, in quo novam veteremque medicinam experimentis & evidentibus rationibus comprobatam dare anniſus eſt (†) *fœminam eruditam* fecit, eamque librum de animæ immortalitate ſcripſiſſe ſtatuit.

(*g*) vid. J. W. Zinkgräfii Apophthegmata. Part. III. p. 280.

(*h*) in der Umſtändlichen Bücher-Hiſtorie. Part I. p. 144.

(*) in dem Cabinet des Gelehrten Frauenzimmers. p. 23.

(†) Pauca de hoc opere dixi Tom. II. p. 383. Sic vero nuncupavit id auctor a Patre Antonii, & matre Margaretæ nomen gerentibus.

§. 4.

In hanc claſſem referendus etiam eſt Brianus Waltonus, qui *Camum*, appellativum Lexici Arabici haud vulgaris nomen, quod *Oceanum* ſignificat, pro nomine auctoris habuit (*i*), quam vero Ibn Jacob Alfirau Zabadium eſſe obſervat Celeb. Jo. Chriſtoph. Wolfius (*k*), ea occaſione ſimul eundem errorem circa librum *Juchaſin* alios erraſſe memorans. Hujuſcemodi oſcitantiæ Philippum quoque Mornæum, Virum arte & Marte illuſtrem inſimulat Mart. Jac. Owmannus (*l*), hæc de eo narrans: *Philippus Mornæus ſcribit R. Bereſchit Ketanna, q. d. R. Commentarius parvus in Geneſin; R. Tanchuma, q. d. R. Conſolatio, dicendum ſiquidem erat Sepher Tanchuma* i. e. *Liber Conſolationis, non autem R. Conſolationis; ſimiliter R. Midraſch Tehillim, q. d. R. Comment. allegoricus in Pſalmos; auctor libri vocatur Iſaac filius Simſon. Itemque R. Midraſch Sirbaſſirim, q. d. R. Commentarius allegori-*

cus

(*i*) in Apparatu S. f. 227.
(*k*) in Hiſtoria Lexicorum Hebraicorum. p. 35. ſq.
(*l*) in Diſput. de diris ſanguinum in lapidatum derivatis, Kilonii A. 1705. habita.

cus in Cant. Canticorum, ſubnexus eſt libro Rabboth. Denique quod omnium abſurdiſſimum, ex Chronico Mundi Mornæus hominem fecit Judæum, quem R. Seder Olam, *q. d.* R. Chronicon mundi, *appellat: quum tamen illum minime latere debuiſſet, hunc librum olim jam translatum a Genebrardo Theologo Pariſino prodiiſſe Pariſiis A.* 1600. *in folio.* Verum hanc craſſæ ignorantiæ maculam feliciter a Mornæo abſterſit Clar. Magnus Cruſius in ſingularibus Pleſſiacis (*m*), nusquam illum in *opere de veritate Religionis Chriſtianæ*, quod in hujus rei fidem allegavit Owmannus, illos libros & commentarios Chroniconque mundi, addito R. tanquam Rabbinici Doctoris ſigno, citaviſſe oſtendens, ſi exceperis *R. Tanchuma*, hoc autem nomine Judæum quendam, qui ejusdem nominis librum conſcripſerit, reapſe gaviſum fuiſſe idem aſſerit.

§. 5.

Huc etiam pertinent ii, qui Probæ Falconiæ, fœminæ laudatiſſimæ, cujus induſtriæ

(*m*) Sive Memorabilibus de vita & meritis Philippi Mornæi de Pleſſis. p. 250. ſqq.

ſtriæ Centones Virgilianos in quædam hiſtoriæ ſacræ capita debemus, *Centonæ* cognomen tribuerunt, errore ex voce *Centones* male intellecta nato, qui diu apud typographos manſit, cum in editione Pariſienſi Joan. Petit. A. 1509. adhuc legatur: *Probæ Falconiæ* Centone *clariſſime fæmine excerptum e Maronis carminibus ad teſtimonium veteris novique teſtamenti opuſculum Centones (n)* Eodem fato ex *Sympoſio*, titulo centum epigrammatum triſtichorum ænigmaticorum, effictus eſt ſcriptor *Sympoſius* quod erudite demonſtravit, iſtudque opuſculum poſt longiſſimi temporis decurſum vero ſuo auctori, L. Cæcilio Firmiano Lactantio, feliciter reſtituit Vir acutiſſimus Chriſt. Aug. Heumannus in præfatione, illis ænigmatibus Hannoveræ A. 1722. in 8: editis præmiſſa, qui ibidem aliud hujus furfuris exemplum affert, exiſtimans, nomen *Picatrix*, quo philoſophum quendam vel potius magum, artes necromanticas profeſſum, vocatum fuiſſe hactenus creditum eſt, effictum eſſe ex titulo libri, *Piatrix*, qua voce *ſaga* indigitatur. Idem Vir præſtantiſſimus alibi (*o*) Jo. Henricum Seyfridum

(*n*) vid. Maittaire Annal. Typogr. T. I. p. 99.
(*o*) Act. Philoſ. Vol. I. p. 6.

dum notat, a quo in medulla memorabilium naturæ (*p*) duplici vice *Muſæus Wormianus* allegatur. En ipſa Heumanni verba: *Welcher Cato könte Meiſter über ſein ernſthafftes Geſichte bleiben, wenn er in J. H. Seyfrids Medulla mirab. naturæ findet, daſs der Muſæus Wormianus 2. mal citirt wird? Und iſt ohnſchwer zu glauben, es habe dieſer Auctor, als er das Muſeum Wormianum allegirt geſunden, ſich beredet, es ſey dieſes der Nahme deſs Autoris, welcher, damit er nicht mit dem Jeniſchen Jo. Muſæo, und deſſen Bruder zu Kiel, dem Petro Muſæo vermenget würde, ſich etwann von ſeinem Vaterlande Worms Wormianum beygenahmet habe.*

§. 6.

Quin imo fuit Anglus quidam, qui μεταμορφωσει plusquam Circæa *Caroli IV. Auream Bullam in aureum bovem* transmutavit, ejusque conſpiciendi gratia Francofurtum profectus eſt (*q*). Cujus inſci-

A 5 tiam

(*p*) Act. Philoſ. Vol. I. p. 542. ſq.

(*q*) Vid. Tenzelii Dialog. Menſtr. A. 1690. p. 765. & J. H. von Seelen Orat. de Luthero de Scholis optime merito. p. 19.

tiam æquavit, ſi non ſuperavit, ille veteris proſapiæ & multarum imaginum homo, in aula olim Franciſci Galliarum Regis verſatus, de quo lepidam hanc circumferunt hiſtoriolam. Regi nimirum iſti, literatorum amantiſſimo, ex ædibus ſacris ad prandium properanti ab eximio quodam poëta aliquando non inelegans offerebatur epigramma, quod is gratioſa benevolentia acceptum inter prandendum legebat, blandamque ejus ſuavitatem ita prædicabat, ut præſentibus, nunquam tam jucunde ac laute ſe paſtum fuiſſe quam hoc epigrammate, aſſeveraret. Hoc ex ore Regis percepto aulicorum unus clanculum in culinam citato gradu ſe contulit, a coquo aliquid de *Epigrammate*, quod Regi præparaſſet, (novum enim *edulii genus* ſibique adhuc incognitum hac vocula deſignari inepte putabat) adeo enixe flagitans, ut tandem, cum cocus, novum ac inuſitatum antea cibum appoſitum, conſtanter inficiaretur, a verbis inter ipſos ventum ſit ad verbera, atque lis iſta a Rege haud ſine effuſo riſu componenda fuerit. Lubet heic adjicere epigramma, quo nonne-

mo

mo (*r*) facetam hanc hiſtoriolam expreſſit:

Dum, Franciſce, petis ſacri penetralia templi,
Huc ubi conſenſu congrege turba litat:
Ecce Poëta Tibi Muſæum Epigramma legendum
Offert mirandis ſuave Epigrāma modis.
Tuque legis lectumque probas, nec ſuavius unquam
Pranſum, quam guſtato hoc Epigrammate, ais.
Cæcus Muſæarum audit hæc aulicus artium
Jucundum ratus hoc eſſe Epigramma cibum.
Hocque, inopinatu pergens, ſibi gratificari
Vult, ante ut ponat tale Epigramma cocus:
Qui genus hocce cibi quod ſit, neſcire fatetur,
Unum ſe, nullum, ſcire, Epigramma cibum.
Alter verbereis, habitus quod ludibrio eſſet,
Regalem multat ictibus uſque cocum.
Tuque

(*r*) Vid. Mich. Piccarti Obſervat. Hiſtorico-Polit. Part. III. p. 325. ſq.

Tuque ſecuturas, Rex regaliſſime, lites
Non ſinis hos inter pacem Epigramma facit.
Perverſe acceptum. Te, Franciſce, antea lectum,
Non intellectum bis jam Epigramma beat.

Habes hic recentioris ævi exempla, quæ documento eſſe poſſunt, haud prorſus improbabile eſſe, quod de ſui ſeculi eruditis refert Ammianus Marcellinus, eorum nonnullos tam fuiſſe ignaros, *ut nunquam ſe Codices habuiſſe meminerint, & ſi in circulo doctorum auctoris veteris inciderit nomen, piſcis aut edulii peregrinum vocabulum eſſe arbitrati ſint.* His ſuperpondii loco Gallum iſtum addo, qui de *libris* loquens, eosque *Domini* titulo (*Meſſieurs Livres*) afficiens, teſtatum fecit, quam probe ſibi cogniti ſint codices, quibus eam exhibebat reverentiam. En verba Jo. Ludov. Balzaci: *Il vient ici des importuns en perſonne, quelquefois de plus de cent lieues, & tout exprés, ſi on le veut croire, qui lui donnent le dernier coup de la mort, lui* (de ſe ipſo loquitur Balzacus) *diſant pour leur prémier compliment, que ſa haute reputation, & la celebrité qu'il*

qu'il a donnée au lieu où il eſt, les ont obligés de venir voir cette perſonne ſi connue, & ce village ſi renommée, qu'il ne doit point trouver mauvaiſe une ſi juſte & ſi honnête curioſité que la leur. Un de ces Curieux lui commença il y a quelques jours ſa Harangue par le reſpect & la veneration qu'il avoit toujours eue pour lui, & pour Meſſieurs ſes Livres. Il n'eſt rien de plus hiſtorique que ceci, & vous pouvez voir par là juſqu'où peut aller le ſtile des complimens (*s*).

§. 7.

Vocemus jam ad partes eos, qui ex appellativis fecerunt nomina propria, prioribus affines. Primi autem hic ſe nobis ſiſtant illi, qui ſibi aliisque inepte perſuaſerunt, Theophraſtum Lesbium, hominem Græcum, magni nominis philoſophum, in Ariſtotelis ſinu educatum, prænomine Latino *Aureoli* uſum fuiſſe, errore ex Hieronymi verbis (*t*) perperam intellectis orto: *Fertur aureolus Theophraſti liber de*

(*s*) Vid. Bælii Dictionar. T. I. f. 433. Art. BALZAC. not. (*k*)

(*t*) Lib. I. adverſus Jovinianum Cap. 28.

de nuptiis, &c. Qua perſuaſione abreptus alter Theophraſtus (*u*), Paracelſus ſcilicet, priori eruditione longe inferior, *Aureoli prænomen* itidem aſſumſit, homo arrogantiæ plenus, qui faſtu turgidus de ſe aliquando inſulſe gloriari haud erubuit, *ſtultiſſimum pilum occipitii ſui plus ſcire, quam omnes Galeni ſectatores, & calceorum ſuorum annulos doctiores eſſe, quam Galenum & Avicennam, barbamque ſuam plus expertam eſſe, quam omnes Academias* (*x*). Digniſſimus certe vir, qui inter eruditos Charlatanos, ſi eruditos vocare fas eſt inſipida hujusmodi capita, principem obtineat locum, ſtolidæ gregis primipilus! Ex priſco autem illo Aureolo commentitio, ſicuti error plerumque errorem gignit, novum quendam, ſi Diis placet, *Aurelionem Theophraſtum* fabricavit Gualterus Burleus, inficetus ille Hiſtoriæ Philoſoph. ſcriptor (*y*), *ſcripſit etiam*,

(*u*) Vid. Heumanni Acta Phil. Vol. I. p. 7. ſq.

(*x*) Vid. Melch. Adami Vitas Germanorum Medicorum p. 35. edit. Heidelberg. 1620. in 8.

(*y*) Cap. LXVIII. Libri de vitis Philoſophorum & Poëtarum, quem Celeb. Heumannus in Actis Philoſ. Vol. III. p. 282. ſqq. recenſuit. Libelli hujus, hodie rarioris, ſed nullius pretii, editionem poſſideo Argen-

etiam, inquiens, *Aurelio Theophraſtus librum de divitiis.*

§. 8.

Hujus farinæ ſoloeciſtis annumerandus quoque eſt ineptulus ille, quem Ulricus Huttenus, ſtrenuus ignorantiæ oppugnator, in ſuo *Nemine* ſic exagitat: *Novi inſignem aſinum, quod mihi videtur, qui aliquando ſimul audientibus nobis Papiæ illud juris columen Jaſonem, cum is prælegeret, & multis cita-*

gentorati per Joan. Knoblauch A. 1516. in 4. typis exſcriptam, h. t. *Vita Philoſophorum & Poëtarum cum auctoritatibus & ſententiis aureis eorundem annexis.* Titulo hoc ſubjectum eſt carmen, quod ipſe poëta haud abs re vocat tumultuarium:

> *Lector amande ſuper cunctos vis magnus haberi,*
> *Hunc precor ediſcas nocte die* (l. dieque) *librum.*
> *Tantus ibi fructus, tanta eſt facundia, tantis,*
> *Eſt rutilans dictus* (l. dictis) *quod nihil eſt melius.*
> *Maximus exiguo theſaurus venditur ære,*
> *Quo nullum toto majus in orbe ſophos.*

Quod ſi vero ipſum opus introſpexeris, pro theſauro invenies carbones: niſi forte hoc duntaxat illius ævi hominibus dictum ſit, quo glandibus veſci volupe fuit.

citatis autoribus ſubjiceret: Alexander de Imola & ſequaces; converſus ad proximum quæſivit, quis ille eſſet ſequaces? Opinabatur ille uni ex gloſſatoribus nomen eſſe ſequaces. Ex *Calendis, Nonis & Idibus* viros ſculpſit celebres, deque Romano populo optime meritos Theodorus Balſamo, qui (z) Romanis decem menſis cujusque priores dies Calendas, proximos decem Nonas, poſtremos Idus dici, ſicque vocatos tradit a tribus prudentiſſimis Romanis, qui eos fame liberaverint. Meminiſſe etiam heic decet illius, qui formulam *Fare wel*, i. e. *Vale* libri cujusdam dedicationi ſubſcriptam, auctorem, *Farewellium* eſſe arbitratus eſt (*a*). Eadem ratione quoque peccavit Vir cætera doctiſſimus, qui Catalogum Bibliothecæ Franciſci Barberini Cardinalis concinnavit, cum in litera W. T. II. p. 572. ex linguæ Germanicæ ignorantia Jo. Arnd *Weiland* libros de vero Chriſtianiſmo adſcripſit (*), adver-

(z) Ad Canonem Trullanum 62. notante Viro Summo J. A. Fabricio in Menologio p. 92.

(*a*) Vid. J. H. von Seelen Orat. de Luthero de Scholis optime merito. p. 19.

(*) Vid. Ejusdem Orat. de Eruditis præcocibus. p. 16.

verbio *Weiland* pro auctoris nomine uſus. Qua occaſione ſilentio involvere nequeo hujusce fere generis ſoloeciſmum, a me ipſo obſervatum. Nempe aliquando mihi aſſeruit nonnemo, qui Bibliothecam non contemnendam hæreditatis jure poſſidebat, *Tomum* haud dubie fuiſſe magnæ celebritatis ac exquiſitæ eruditionis virum, digniſſimumque, qui inter polygraphos non ultimum obtineat locum, cum tantus ejus ſcriptorum ſit numerus: magnopere ſimul miratus, unum hominem tot tantæque molis operibus elaborandis ſufficere potuiſſe. Scilicet multorum voluminum tergo inſcriptam conſpiciebat notam: hujus vel illius *operis Tomus I. Tomus II.* &c. Cui alium ſoloeciſmum addere lubet, circa eandem vocem *Tomus* commiſſum, ſed grammaticum, quem his verbis, lectu, ſcio, non injucundis notatum deprehendimus in Menagian. Tom. II. p. 374. ſq. *Lors que M. l'Abbé de ..... qui fut depuis Cardinal, ſoûtint ſa Majeure, un Bachelier, qui diſputoit contre lui, cita le paſſage d'un Concile, qu'il nia formellement s'y trouver. La Bachelier fut chercher le Livre à la Bibliotheque de Sorbonne, & le lui montra tel qu'il l'avoit cité. L'Abbé de ..... voulut s'ex-*

s'excuſer, & pour exprimer qu'il avoit vû d'autres exemplaires où la citation n'etoit pas, il dit : Vidi alia toma, ubi locus iſte non erat, au lieu de dire alios tomos M. Hennequin, qui étoit aux écoutes, cria tout haut : Quia vidiſti Toma credidiſti. Quis hic ſibi a riſu temperet, licet ipſum Catonem ac Heraclitum auſtera vultus gravitate multum ſuperans?

§. 9.

Nec omittendus eſt hic lepidiſſimus error, *quo ſe deridendum* (verbis utor (*b*). Celeb. Jo. Henr. von Seelen) *intelligentioribus propinavit Bibliothecæ cujusdam præfectus, qui cum oſtenderet peregrinis nonnullis codicem, cujus primæ paginæ inſcripta legebat hæc verba: ἐκ τῶν Lindenbrogii, neſcio quem Ectonem Lindenbrogium transformatione, quæ ipſa Ovidiana major, ex iis effinxit. Græcæ linguæ ignorantia mater eſt, quæ iſthæc & longe plura errorum fœdiſſima monſtra infelici & immaturo partu eſt enixa.* Ἐν παρόδῳ adjicere hic lubet verba, lectu, ſi quid judico, non injucunda, etſi prolixiora,

(*b*) l. c.

lixiora, quibus Henricus Stephanus (c) ſuperioris ævi in Græcis ignorantiam depingit: *Quant au Grec, il leur eſt à pardonner, s'ils n'y ont entendu rien du tout, veu que de plus habiles gens qu'eux, n'ont eu bonté de dire ce que nous avons raconté ci devant, à ſçavoir, Græcum eſt, non legitur: & Tranſeat, Græcum eſt.* Et *ſi on tient ceſte ignorance pour mal, pour le moins on peut dire que ce mal a apporté quelque bien. Car par icelle a eſté augmenté le nombre des ſaincts & des ſainctes, teſmoin* S. Lonchi ou Longi, *quant aux ſaincts, S. Tiphaine quant aux ſainctes. Car du mot Grec* λογχη, *Lokchi (d) ſignifie Lance, eſt ſorti ce ſainct*

B 2 *(com-*

(c) In Apologia pro Herodoto, ſuperius jam citata, p. 359.

(d) Mirandum eſt oppido in hujus lanceæ honorem a Pontificiis ſolenne feſtum nonnullis in locis celebrari: de quo videſis Jo. Henr. von Seelen Comment. de feſto lanceæ & clavorum, quibus Chriſti corpus fuit perfoſſum in Ducatu Bremenſi olim celebrato juſſu Innocentii VI. Pontificis, cujus Bulla ex MSC. inſerta. Hanc Bullam jam ante publicaverat Jac. Gretſerus in Syntagmate de S. R. Imperii ſacroſanctis reliquiis & regalibus monumentis, præſertim de quadruplici Lancea, Dominica, Mauritiana, Conſtantiniana & Carolina, Ingolſtadii 1618. in 4. edito p. 18. ſqq. ubi & p. 26. ſqq. exhibetur alia Bulla Martini V. Pont. in qua præter alia feſtum lanceæ confirmatur.

(*combien que deſia ce meſme non euſt eſté baillé a celui qui de ceſte lance perça le coſté de noſtre Seigneur*) *&* *d'un autre mot Grec* θεοφανια *theophania (comme ſi on diſoit Apparition de Dieu) eſt ſorti Saincte Tiphaine. Il eſt vray que d'autre part ceſte meſme ignorance a eſté cauſe d'augmenter le nombre des diables: car de Macrobius & quelques autres tels mots on a faict des noms de diables. Quant au pauvre Malchus, qui eut l'oreille coupée, & auquel depuis on a oſté ſon nom pour le donner a une ſorte de glaive, je lui laiſſeray plaider ſa cauſe: afin qu'on ne die que je ſuis l'avocat des Juifs*, &c. Alium errorem circa Macrobium a non infimi ordinis Viro commiſſum memorabimus ex Theodoro Beza (*e*): *L'Aſſeſſeur de Poitiers s'oppoſa de toute ſa force a l'introduction de la Reformation dans cette Ville-la. Etant un jour entré dans l'Etude d'un* Ecolier *ſuſpect, où il trouva un ancien Auteur Latin, nommé Macrobius, ſe ſaiſit de ce Livre, & envoya l'Ecolier en Priſon, diſant que ce gros nom de Macrobius ne pouvoit être que le nom de quelque gros alemand Héretique.*

§. 10.

(*e*) Locum hunc allegavit Mich. de la Roche in Memoires Literaires de la Grande Bretagne. Tom. XIII. p. 153.

§. 10.

In Græcis Autoribus exponendis hac ratione interdum lapſi ſunt Viri alias Græce doctiſſimi, ſiquidem etiam aliquando bonus dormitat Homerus, ut appellativa nomina in propria transformarent. Sic ex Athenæi (*f*) verbis: Των κυνικων τις ἑσπεριος ἐλθων ἐφη, eorumque verſione Latina, *Accedens Heſperius, unus e Cynicis, inquit*, occaſionem reperunt viri quidam eruditiſſimi, Cynicum quendam, nomine *Heſperium*, effingendi, cum verba illa Athenæi potius ſic transferenda ſint: *Cynicorum quidam veſperi & ſerius accedens dixit*, obſervante id ſæpius laudato nec unquam ſatis laudando Heumanno (*g*). Quam Poëtriis Græcis annumerat Gyraldus (*h*), *Agaclen* ejusdem eſſe originis & commatis ſuſpicor. Cum enim ejus a nullo veterum, quod ego quidem ſciam, habeatur mentio, ex epitheto ἀγακλῆς, quod *præclarum* ac *percelebrem* ſignificat, ea mihi orta eſſe videtur. Uſus eſt hac voce Antipater in Epigram-

(*f*) Lib. VII. Deipnoſophiſt.
(*g*) In Act. Philoſ. Vol. II. p. 915.
(*h*) Dial. III. de Poëtis. p. 170.

grammate Græco (*i*) de Teleſilla, cujus ut & aliarum poëtriarum nomina inde Gyraldum loc. cit. hauſiſſe animadverto.

Τας δε θεογλωσσους Ἑλικων ἐθρεψε γυναικας
Ὑμνοις, καὶ Μακεδων Πιεριας σκοπελος,
Πρηξιλλαν, Μυρω, Ανυτης στομα, θηλυν Ὁμηρον,
Λεσβιαδων Σαπφω κοσμον ἐϋπλοκαμων,
Ἠρινναν, Τελεσιλλαν ἀγακλεα, καὶ σε Κοριννα,
Θουριν Ἀθαναιης ἀσπιδα μελψαμεναν,
Νοσσιδα Θυλιγλωσσον, ἰδε γλυκυαχεα Μυρτιν,
Πασας ἀεναων ἐργατιδας σελιδων.
Ἐννεα μεν μουσας μεγας οὐρανος, ἐννεα δ᾽ αὐτας
Γαια τεκε θνατοις ἀφθιτον Εὐφροσυναν.

interprete Hieron. Megiſero:

Has Helicon ſacras divino carmine vates
Nutriit, & Macedo Pieriæ ſcopulus,
Praxillam, Myro ac Anyten, quæ haud ceſſit Homero,
Sappho, ſplendorem Lesbos amoena tuum.

Queis

(*i*) In Anthologia veterum Græcorum Epigrammatum. Lib. I. Cap. LXVI. p. 443. edit. Francof. 1602. in 8.

Queis fidæ ſociæ Teleſilla, Erinna, Corinna,
Palladiam quarum hæc ægida voce canit.
Noſſida quin etiam, mellito & gutture Myrtin
Omnes perpetuis carminibus celebres.
Tu Muſas quidem, Olympe, novem, ſed terra novem iſtas,
Inſignes hominum delitias, peperit.

Politianus, aliique viri docti eum ſecuti *Auctorem magni Etymologici Nicam* appellant: at Iſaacus Voſſius, qui hoc etiam ipſe a Politiano paſſus fuerat ſibi perſuaderi, poſtea incidens in Codicem, qui Politiano impoſuit iſtud ut crederet, non potuit ſibi a riſu temperare, cum obſervavit volumini illi MSto Etymologici præfixum labarum cruciforme cum verbis decantatiſſimis ἐν τȣ́τῳ νίκα, de quibus priora duo, ἐν τȣτῳ, deleta, tertium ſolum, velut ſcriptoris nomen viſum Politiano, νίκα, relictum fuit: quam obſervationem debeo Celeb. J. A. Fabricio (*). Quid? quod, ut hæc obiter adjiciam, Conradus Heresbachius hoc modo in interpretatione Herodoti novos nobis obtrudit montes, novos populos, in Uto-

(*) Biblioth. Græc. Volum. X. p. 19.

Digitized by Google

piæ fortaſſis mappa Geographica quærendos, quem propterea falſe his verbis perſtrinxit Henr. Stephanus : *Quis adeo ſit Heraclitus, ut riſum vel cachinnum potius ad illos Herodoteæ interpretationis locos compeſcat, in quibus novos montes, novos populos, novas gentes ex uno calami ductu ortas intuetur? Vetus fuit verbum, Semper Lybia novi aliquid affert; at hæc interpretatio Lybiæ vice fuerit viris doctis, quibus eam cum textu Græco conferre minime grave videbitur.* Illic *enim* ἱρὸν (*Jonico more poſitum pro* ἱερὸν) *id eſt ſacrum in montem nomine Hirum nova quadam metamorphoſi mutatum conſpiciet: illic ex* μυχȣ̃ (*id eſt receſſu vel ſinu*) *Inachum ſive Machum urbem: ex* οἵτινες (*id eſt Qui*) *populum nomine Hoetines: illic ex* ἥσσονας (*id eſt inferiores*) *populum Heſſones: illic denique ex* ἁλέες (*quod declarat Univerſi vel ſimul omnes*) *populoſiſſimam gentem Halees repente emergere videbit. Eant nunc, qui magicarum vocum potentiæ vel circa leviſſima opera fidem derogant, quum tanta a tantillis iſtis quinque vocibus miracula, & quidem nullius Circes ope adjutis, edita cernantur. O quam* *oppor-*

opportune in Deucalionea tempora incidiſſet bujusmodi interpres: quam ſtrenuus humani generis reparator, ſine lapidum jactatione, fuiſſet (*k*).

§. II.

Nunc ad aliam σολοικιζόντων claſſem transgredior, nempe ad eos, qui vice verſa ex nominibus propriis fecerunt appellativa, eque illis vel librorum titulos vel aliud quid fabricaverunt. Primus hic in ſcenam prodeat is, qui Hermannum Contractum, notiſſimum ſcriptorem, a miſero corporis habitu ita cognominatum, cui Chronicon de ſex ætatibus mundi ad annum usque 1050. ab Urſtiſio inter Scriptores Rerum Germanicarum aliisque publicatum debemus, pro titulo ejus operis, contracti & in epitomen redacti, inepte habuit (*l*). Huic, ſi Reineſii judicio ſtandum eſt, jungendi ſunt, qui carminis, quod inſcribitur *Ovidius de vetula*, auctorem Naſonem, argumentum vero de vetula eſſe ſibi perſua-

 ſerunt,

(*k*) Verba hæc leguntur in H. Stephani epiſtola ad Joach. Camerarium, Herodoti editioni præmiſſa.

(*l*) Vid. Hamburg. Biblioth. Hiſtor. Centur. III. p. 77. & Gundlingian. Part. I. p. 51.

ſerunt. Ita autem ille (*m*): *Argumentum poëmatis de Vetula eſſe putant plerique omnes, etiam Voſſius; ſed velim ex ipſo doceant rationem hujus inſcriptionis: librorum enim titulos* πραγματεια *& libri ipſi ſubindicare ſolent debentque. Mihi nec fictum nomen Ovidii, nec libri titulus eſſe de Vetula videtur: ſed veram propriamque verſificis iſtius docti ſatis, ſed aſtrologicis vanitatibus nimis quam addicti, adpellationem; cum & Ovidii vocabulum ſeculo decimo undecimoque Gallis Anglisque familiare fuiſſe, & familiam de Vetulis inter Normannicas illuſtrem quandam ſeculo decimo ſciam. Unde vero ei appellatio, & an a loco Vetulæ, Betulæ dicto, dictu difficile eſt; probabile tamen ideo, quod denominatio a locis natalibus & a tenementis uſitatiſſima. Et fuerit Ovidius de Vetula ſic ut M. Thaddæus a Roma — — Joan. de Judagine, Conr. a Marpurgo, Henr. de Urimaria &c. nominati.* Sed deinde ſententia hac abjecta Reineſius, impoſtorem quendam Vatis Sulmonenſis locum nomenque affectaſſe, &, cuculus cum eſſet, ova ſua aquilæ ſupponere præſumſiſſe exiſtimavit (*n*). Po-

(*m*) In Epiſt. ad Chr. Daumium p. 204.
(*n*) l. c. p. 207.

Potiore igitur jure in hunc cenſum referendus eſt error, diu propagatus, quo Arnobii libris ſub titulo libri octavi adjectus fuit Minutii Felicis dialogus, Octavii titulo a nomine Octavii Januarii, collocutoris Chriſtianæ religionis partes tuentis, inſignitus, quem vero ſuo autori primus vindicavit Franciſcus Balduinus.

§. 12.

Nec impune hinc abibit imperitus ille inter Pontificios librorum Cenſor, quod genus hominum non raro ſibi ſolum ſapere videtur, gravitate plusquam dictatoria omnia ea, quæ minus capit, deſpicatui habens, & cenſorii ſtyli mucrone crudeliter configens. Lepidam de ineptulo quodam hujus furfuris Ariſtarcho hiſtoriolam narrat Janus Nicius Erythræus (*o*), ipſe Pontificius, quam ipſis ejus verbis hic repetere placet, ne venuſtas & nativus illi decopereat. *Illud, oppido ridiculum, non eſt ratio prætermittere. Nam cum rhythmos quosdam typis mandare conſtituiſſet* (Romulus Paradiſus), *illi, quem penes eſt facere librorum, non præcipuorum tamen, imprimendorum*

(*o*) In Pinacotheca II. p. m. 168.

Google

rum poteſtatem, ut moris eſt, tradidit, ut eos legeret, ac typographo excudendos dari curaret. Qui, ut primum in Paradiſi *nomen incurrit, illico, non ſecus ac ſi anguem pede preſſiſſet, exhorruit, atque,* Tibi removendum eſt, *inquit,* ab hoc libro nomen iſtud, *quod non ſecus ab* Etruſcis *carminibus, tanquam prohibitum alienumque, repellitur, ut cœlum, ſors, fatum, aliaque ejusmodi minime uſurpanda vocabula: ſumtoque calamo* Paradiſi *cognomen delevit, ejusque loco tria puncta, hoc videlicet modo . . . ſubſtituit; eademque opera interminatus eidem eſt, ne auderet* Paradiſi *nomen in eum, unde depulſum fuerat, locum reſtituere: nam illico curaturum ſe, ut opus illud inter prohibitos atque invendibiles libros rejiceretur. Romulus, admirans hominis ſimplicitatem, vix ſe continuit, quin in riſum effunderetur, ſed, ſibi vim adhibens, tacitus abiit. Nec mora; librum typographo cum illis tribus punctis loco cognominis imprimendum tradidit. Cujus poſtea exempla cum inter amicos plura diviſiſſet, ut quisque illi obviam venerat, Mi Paradiſe, ajebat, jure partam ex tuis carminibus laudem tibi vehementer gratulor. Cui Romulus, admoto ad os digito,* Cave *dicebat,* obſecro, *ne* hoc me cognomento appelles, niſi

niſi poſtulas, librum, ex hominum manibus ereptum, impiorum ſceleratorumque librorum numero haberi. At, quodnam tibi nomen dicam eſſe? replicabat ille. Reſpondebat, Romulum *trium punctorum; nam id mihi cognomen, vetere inducto, indidit ille, qui libros imprimendi copiam facit. Quæ res, non poteſt ſatis narrari, quos ludos aulæ præbuerit.* Romæ cumprimis hujusmodi in cenſendis libris rigorem obſervari, aſſerit Ægid. Menagius (*p*), hincque nonneminem, qui in opere quodam voce *fata* uti voluit, ita circumveniſſe cenſorem refert, ut in vicem ejus ſubſtituerit *facta*, in indice erratorum hac notula adjecta, *Facta lege Fata.* Quin imo Inquiſitor quidam ita ſuam prodidit inſcitiam, ut in libro quodam Naudæi hæc verba, *Virgo fata eſt*, cenſoria virgula affecerit, his in marginem adſcriptis: *Propoſitio hæretica, nam non datur Fatum* (*q*).

§. 13.

Catholicon, Lexicon Latinæ linguæ rariſſimum, ſed ineptiis ſcatens, & ſeculi, quo

(*p*) In Menagian. Tom. I. p. 38.
(*q*) Menagian. Tom. IV. p. 36.

quo ſcriptum eſt, ruditatem ſpirans ubique, quod nuper heic loci tractare mihi in Bibliotheca Monaſterii Ordinis S. Spiritus licuit, auctorem agnoſcit Joannem de Balbis, alias etiam a patria Genua *Joannem de Janua* dici ſolitum. Hinc eum aliquoties Caſeneuvius (*r*) joculari errore *Jean de la Porte* vocat (*s*). Ipſe etiam Æg. Menagius, at quantus vir! ab iſtiusmodi hallucinatione ſibi minus cavit, *Simum, alicujus inſtrumenti Muſici inventorem, pro ſimio*, turpiſſima beſtia, humani oris ſimulatrice, habens. De eo Simo ita Jul. Cæſar Scaliger Lib. I. Poëtic. *Fuit & Simi commentum illud, quod ab eo Simicum appellatum quinque & triginta conſtabat chordis, a quibus eorum origo, quos nunc monochordos vulgus vocat, in quibus ordine digeſta plectra ſubſilientia reddunt ſonos.* Haud abs re erit, quot errores circa hunc locum commiſerit Menagius, Bernhardi Monetæ (*t*) verbis heic ediſſerere: *Rien n'eſt ſi plaiſant, que la manière dont M. Ménage*

(*r*) Origin. Ling. Gall. p. 88. 97.
(*s*) Menagian. T. III. p. 62. conf. J. A. Fabricii Biblioth. Lat. Volum. III. p. 671.
(*t*) Menagian. Tom. III. p. 111.

nage dans ſes Origines Françoiſes a entendu ces paroles. Il prend Simus *pour* Simius, *& croit là-deſſus que Scaliger attribuë l'invention de cet inſtrument à un ſinge, a joûtant par un ſurcroît d'erreur que le même Scaliger dérive le mot Italien* monocordo *de* mono, *qui en Italien ſignifioit un ſinge. On auroit peine à compter ici les bévuës de M. Ménage. La premiére eſt d'avoir ignoré que ce qui eſt dit ici touchant l'inſtrument* Simicum *eſt originairement de Pollux. La ſeconde d'avoir cru qu'un ſinge étoit capable d'avoir inventé cet inſtrument. La troiſiéme de n'avoir pas ſû qu'on ne diſoit pas en Latin* Simus *pour* Simius. *Le quatrieme de s'être imaginé que ces mots,* à quibus eorum origo quos nunc monochordos vulgus vocat, *regardoient l'etymologie de* monocordo, *au lieu qu'ils regardent purement la façon de l'inſtrument. La cinquiéme d'avoir pris* mono *pour un mot Italien qui ſignifioit un ſinge. Et la ſiziéme d'avoir attribué toutes ces abſurditez a Scaliger qui en eſt fort innocent. La ſeule faute dont il auroit pû reprendre celui-ci, eſt d'avoir dit* quos monochordos, *au lieu de* quæ monochorda, *ce dernier mot ne pouvant ſe rapporter qu'à* inſtrumentum, *employé un peu plus haut.*

Alius

Alius, ut hoc in transcurſu attingam, ex *Salem*, proprio loci nomine, infulſe *ſalem*, utiliſſimum illud condimenti genus, effecit, cujus his meminit Philippus Melanchthon (*u*): *Nuper quidam ex Magiſtris noſtris, cum enarraret ea, quæ de Melchiſedec in Geneſi prodita ſunt: Rex Salem panem ac vinum obtulit: non animadvertens, Salem loci nomen eſſe, nulla de condimenti vi ac natura diſſeruit: impoſuit enim bono viro vocum affinitas.*

§. 14.

Neſcio, an huc quoque referenda ſit ineptula & intempeſtiva quorundam diligentia, qui in verſionibus Auctorum nomina propria etiam aliis pro lubitu ſuo effictis vocibus exprimere conentur, atque ita ſibi aliisque abs re crucem figunt. Exemplo ſit Gallus ille, qui in translatione Epiſtolarum Ciceronis ad Atticum verba hæc: *Pridie autem apud me Craſſipes fuerat*, ita interpretatus eſt: *Le jour précédent Gros-*

(*u*) In Encomio Eloquentiæ, quod ejus ſelectarum Declamationum, Argentorati A. 1564. in 8. editarum, Tomo I. inſertum eſt, p. 414.

Gros-Pied fût chez moi (*x*). Sic in ſequenti diſticho *S. Wolfgangi*, Epiſcopi Ratisbonenſis, nomen *Lupambulus* redditur, invitis certe Muſis:

Conſecrat ædiculam mandrita Lupambulus iſtam,
Abbas Ramvoldus quam tibi, Chriſte, ſtruit. (*y*)

§. 15.

Nunc eorum paucis meminiſſe fas eſt, qui ex urbibus viros, & vice verſa e viris urbes effinxerunt. Ita lapſus eſt Antonius Poſſevinus, acerrimus & ſæpe iniquus aliorum cenſor, qui *ex Georgio, Nicomediæ Archiepiſcopo*, *Georgium* quendam *Nicodium* exſculpſit, eique librum de Cruce tribuit (*z*). Sic Biblia Hebraica, *Wilmersdorfii* typis aliquot abhinc annis exſcripta, *a Wilmersdorfio* quodam curata eſſe ſibi perſuaſit Vir haud incelebris in bonæ frugis libro, non ita dudum edito. Contra Fri-

(*x*) Vid. Carpentariana p. 259. ſq. edit. Pariſ. 1724.

(*y*) Exhibet hoc diſtichon Jo. Mabillonius in Itinere Germanico. p. 61. edit. Hamburg. 1717. in 8.

(*z*) Vid. J. Fr. Reimmanni Bibliothecam Acroamaticam, p. 59.

dericum *Sylburgium*, Virum Græce doctiſſimum, nonnemo *in ejus nominis urbem* transmutavit. Toppium vero in Bibliotheca Neapolitana Jo. Antonium van der Linden, qui de ſcriptis medicis commentatus eſt, ſemper *Jo. Anton. Vander* appellare memorat Clar. Chriſt. Gotl. Jœcherus (*a*), ut adeo *Linden* pro patriæ ejus urbis nomine habuiſſe videatur. Pariter Lud. Elias du Pin in Bibliotheca auctorum Proteſtantium verba Melchioris Adami: *Gratiſſimus Hyperii adventus Noviomago accidit*, ita intellexit; quaſi narraretur, Hyperium in urbem Noviomagum veniſſe; cum tamen de Gerhardo Geldenhaurio Noviomago ſermo ſit, obſervante Celeb. Theodoro Haſæo (*b*).

§. 16.

Quandoque & librorum tituli minus recte intellecti occaſionem varia ratione labendi dederunt. Conſtantinus Rheginus, a patria Africanus, ab officio Ἀσηκρητης vel Ασηκρητις i. e. a Secretis, ſeu ut vulgo vocant,

(*a*) In Præfat. noviſſimæ editionis Lexici Eruditorum Germanici.

(*b*) In Bibliotheca Bremenſi. Claſſ. V. p. 318.

cant, Secretarius appellatus, opus medicum de omnium fere morborum, qui homini accidere poſſunt, cognitione & curatione inſcriptum: *Viatica peregrinantis*, e Syriaco in Græcum ſermonem convertit, cujus translationis Codex MStus in Auguſtiſſima Bibliotheca Vindobonenſi adſervatur. In hoc dupliciter peccavit Jo. Meurſius in Gloſſario Græco-barbaro, ubi in Indice Græcorum Auctorum hactenus nondum editorum indicat, in ipſo Gloſſario octies a ſe citatum eſſe *Conſtantini Aſynkiti Itinerarium*, primo officii, quo interpres functus eſt, nomen corrumpens, deinde opus medicum transformans in Itinerarium (*c*). Petrus Hœdus Sacerdos Portusnaënſis ſcripſit opus *de amoris generibus*, uti titulus fert, Tarviſii A. 1498. in 4. typis Gerardi de Flandria excuſum, in quo contra laſcivum amorem pugnat, Deique ac proximi dilectionem lectoribus inſtillare cupit: hinc ipſe etiam auctor in averſa tituli parte ac deinceps opus hoc *Anteroticorum* epigraphe inſignivit. Eapropter vero

C 2 Hen-

(*c*) Reprehenſus propterea a Petro Lambecio in Commentar. de Bibliotheca Cæſar. Vindob. Lib. VI. vid. Reimmanni Biblioth. Acroamat. p. 483.

Henricus Cornelius Agrippa (*d*), priori titulo deceptus, Hœdum inter ſcriptores de arte amandi inepte refert, eumque cum Ænea Sylvio, Dante, Petrarcha, Bocatio, Petro Bembo & aliis lenonibus accenſet, notatus ob id a Celeb. Bernhardo Moneta (*e*). Nec dubito, pari ratione erratum eſſe in Indice librorum prohibitorum, An. 1711. & 1716. in 8. juſſu Clementis XI. Pont. Max. Romæ ex typographia Cameræ Apoſtolicæ edito. Ibi enim p. 278. (edit. 1711.) & p. 275. (edit. 1716.) libris prohibitis annumeratur *Iſaaci Caſauboni Corona Regia ab Euphormione in lucem edita.* Cognitum vero eſt, hoc titulo proſtare ſatyram mordaciſſimam, auctorem, uti creditur, Caſp. Scioppium, hominem maledicentiſſimum, agnoſcentem, qua cum Jacobus, Angliæ Rex, tum Caſaubonus indigne laceratur (*f*). Mihi igitur iſte titulus ſacræ, quam vocant, S. officii Congregationi impoſuiſſe videtur. Minus enim veri-

(*d*) De Vanit. Scient. Cap. LXIV. p. 123. Opp. Tom. II. edit. Lugdun. 1600.

(*e*) Menagian. Tom. III. p. 300. ſq.

(*f*) Eam recudi curavit in Tomo I. Hiſtoriæ Sapientiæ & Stultitiæ, Halæ Magdeb. A. 1693. Illuſtr. Chriſt. Thomaſius.

veriſimile eſt, eum libellum in gratiam Jacobi & Caſauboni, quorum uterque ſedem Romanam libris ſtrenue oppugnavit, nigro theta ſignatum eſſe. Antonius Verderius in Bibliotheca Conſtantinopolitana *Lexicon Juſtiniani M.* memorat, ut adeo Juſtinianus Lexicographis accenſendus foret, ſed ex Codice Cæſareo ἑξηκονταβιβλος legendum eſſe monet P. Lambecius (*g*). Antonius Poſſevinus in Catalogo Bibliothecæ Cæſareæ ex Georgii Gemiſti Plethonis Epitome hiſtoriarum Diodori Siculi abſurde effinxit *Gemiſti Platonis Epitomen Hiſtoriarum Sicularum* (*h*). Jo. Gotfr. Olearius (*i*) Petrum de Natalibus circa annum 1470. quasdam Scrip. S. hiſtorias edidiſſe, atque *Catalogum Venetorum Senatorum & geſtorum eorum*, qui Vincentiæ A. 1493. prodierit, compoſuiſſe aſſerit. Sed Ant. Verlam Petri de Natalibus hiſtorias Sanctorum publicaſſe A. 1493. neque aliud eſſe ſcriptum, Catalogum Sanctorum (non Venetorum Senatorum) & geſtorum eorum ex Ephemeridibus literariis Italicis obſer-

 vavit

(*g*) Lib. I. de Biblioth. Vindobon. vid. Reimmanni Biblioth. Acroam. p. 70.

(*h*) Vid. Reimanni l. c. p. 58.

(*i*) In Biblioth. Eccleſiaſt. Tom. II. p. 83.

vavit Venerab. Abbas Jo. Fabricius (*k*). In ejus Bibliotheca Eccleſiaſtica (*l*) aliud quoque lepidum occurrit ſphalma, typothetæ forſitan oſcitantiæ tribuendum, quanquam inter errata typographica hoc notatum haud ſit. Ibi enim Nicephorus Calliſtus inter alia ſcripſiſſe dicitur *Catalogum Meretricum* (pro *metricum*) *Imperatorum Conſtantinopolitanorum.*

§. 17.

Jam ordo ejus generis ſoloecismos tangit, quos compendia ſcripturæ pepererunt. Sic v. g. Gallus quidam voces *Jul. Cæſar* in Carpentarianis (*m*) legiſſe alta voce & ſeria mente *Jean Cæſar* narratur. Pariter *P. (i. e Publius) Victor* perperam vocatur *Petrus Victor* in opere topographico urbis Romæ, quod Francofurti A. 1627. fol. prodiit hoc titulo: *Onuphrii Panvinii, Bartholomæi Marliani, Petri Victoris, Jani Jac. Boiſſardi topographia Romæ cum tabulis Geographicis, imaginibus antiquæ & novæ urbis, Inſcriptionibus, marmoribus, ædificiis, ſe-*

(*k*) In Hiſtoria Bibliothecæ ſuæ Tom. V. p. 465.
(*l*) Tom. II. p. 8.
(*m*) p. 238.

ſepulchris, & quicquid eſt a veneranda antiquitate, magna diligentia æri inciſis (*n*). Ita in Bartholomæi Caſſanæi Catalogo Gloriæ mundi, Venetiis A. 1571. per Vincent. Valgriſium in fol. excuſo, p. 201. allegatur Philoſophus Bergomas in Supplemento Chronic. quod opus Jacobo Philippo Foreſto Bergomati debetur, errore haud dubie ex compendio ſcripturæ (Phil. Bergom.) nato quanquam ibidem p. 290. recte Philippus Bergom. nuncupetur.

§. 18.

Succedant nunc ii, qui in ætate, auctoribus aſſignanda, turpiter lapſi ſunt. Nequaquam vero huc referre animus eſt illos, qui hac in re aliquot duntaxat annis, vel decenniis, vel integro etiam ſeculo aberrarunt: ſed iſtos tantum, qui ita peccaverunt enormiter, ut trivialium puerorum riſu excipi digni ſint. Talis eſt *Nobilis* ille, qui Senecam tempore Henrici IV. Galliarum Regis floruiſſe ex eo ſibi aliisque perſuadere voluit, quod Gallica ejus operum translatio laudato Regi ab interprete inſcri-

(*n*) Vid. J. A. Fabricii Biblioth. Lat. Volum. I. p. 744.

pta ſit. Haud piget, eam rem verbis doctiſſimæ cujusdam fœminæ (*o*) Gallicæ plenius enarrare: *Un fort joli Cavalier me voulut prouver un jour, que Seneque etoit contemporain de Henri IV. & pour me convaincre de cette verité, il alla chercher les oeuvres de Seneque dediées à ce Prince, & me montrant l'Eliquette, liſez, dit-il, n'eſt ce pas là Seneque? liſez en ſuite,* au Roy Henri IV. *Que repliquez vous à cela? j'eus beau lui dire, que c'etoit une traduction de cet Auteur, que l'on avoit faite plusieurs Siécles apres ſa mort, il n'en voulut rien entendre, & croiant ſon argument ſans replique, il me rit au nez: tout ce que vous dites là ſont paroles, ajouta-t-il, je vous ai fait voir la preuve par ecrit, & vous devez en etre convaincüe.* Mirus certe parachronismus, nec diſſimilis illi, quem Turcis Ricotus (*p*) his verbis exprobrat: *Ils confondent tellement l'Hiſtoire & Chronologie, qu'ils diſent que Job eſtoit Juge de la cour de Salomon, & qu'Alexandre le Grand eſtoit General de ſes armées.* Quo pertinet etiam error,

a

(*o*) Lettres hiſtoriques & galantes par Mad. de C*** Tom. III. p. 328.

(*p*) Hiſt. de l'Empire Ottoman. L. I. C. 3.

a Wilh. Schikardo (*q*) notatus, quo juxta Chriſtum per ſynchronismum egregium velut coætanei Georgius, Jonas & Samſon (cur non & Adam ac Mathuſalem?) a quodam poſiti ſunt. Sed e diverticulo in viam redeundum. Ab hujusmodi ſoloecismo immunis non eſt Georg. Wicelius, Vir alias haud indoctus, qui Plutarchum Caroli M. Imperatoris vitam & res geſtas deſcripſiſſe abſone exiſtimavit, quia ſcilicet ejus Monarchæ vita, per Acciajolum enarrata, Plutarchi vitis parallelis in nonnullis editionibus (*r*) Latinis appendicis loco annexa eſt (*s*). Sebaſtianus vero Franckius in

 Chro-

(*q*) In Tarich ſive Serie Regum Perſiæ p. 20.

(*r*) Primæ ejusque rariſſimæ editionis Latinæ Vitarum Plutarchi in fol. duplex exemplum in Bibliotheca noſtra publica adſervatur. Prodiiſſe eam A. jam 1470. Romæ ex officina Udalrici Galli arbitratur Mich. Maittaire in Annal. Typogr. Tom. I. p. 72. licet annus, locus & typographus nominatus haud ſit. Typi certe huic conjecturæ patrocinantur, & Jo. Antonii Campani ad Piccolomineum Cardinalem præmiſſa epiſtola. Huic quoque editioni Vita Caroli M. acceſſit, cum hac epigraphe: *Incipit Vita Caroli Magni Clariſſimi Viri e Græco ſermone in Latinum per Donatum Acciajolum translata.* Ipſe igitur Campanus, Acciajolo coævus, in pari jam cum Wicelio hæreſi fuiſſe videtur.

(*s*) Vid. Abbatis Langlet du Fresnoy Anweiſung zur Erlernung der Hiſtorie. p. 377.

Chronico ſuo Plotinum Platonis, Pythagoramque Plotini diſcipulum fuiſſe inſcite ſcribit, animadvertente Celeb. Heumanno (*t*). Alius in Poſtill. German. Valerium Maximum cum Valeriano Magno Mediolanenſi, ſuperioris ſeculi Monacho Capucino haud ignoto perridicule confudit, acri elencho notans *Valerium Maximum de Acatbolicorum & Catbolicorum regula credendi* (*u*) Riſum teneatis amici.

§. 19.

Tandem promiſcue varia craſſiora ἁμαρτηματα literaria recenſebimus, quæ in ſuperiores claſſes commode redigi nequierunt. Primo hic compareat cauſidicus ille, quem per *Orationem Divi Marci in Pandectis preces ad Sanctum Marcum* intellexiſſe nos edocet teſtis auritus Æg. Menagius (*x*). Hunc excipiat Joannes Bonardus, qui Lycurgum pro legislatore Doctorem (Juris videlicet) Lycurgum appellavit, phraſinque de Scipione & Lælio in Cicerone,

(*t*) Act. Philoſ. Vol. I. p. 6.

(*u*) Vid. D. Jo. Frid. Majeri Diſp. de Religione ſuggeſti, quæ eſt ſeptima inter Diſſertationes ſelectas Kilonienſes & Hamburgenſes, p. 232.

(*x*) In Dedicat. Amoenitatum Juris.

cerone, in fallor, obviam, *calculos & conchulas in litoribus maris lectitare*, ita expoſuit, ut *calculi* ſint *libri*, *qui tractant de Scacis*, *conchulæ* vero itidem *libri tractantes de tabulis ad ludendum* (*y*). Sequatur monachus ille Franciſcanus, in urbe Portus belli, inter Indos verſans, qui Ovidii Metamorphoſeων libros pro Bibliis Anglorum venditavit, cumque auditoribus ſuis picturas, quibus liber ornabatur, monſtraſſet, identidem exclamavit: *Ecce, quam turpiter peſſimi iſti canes diabolum adorent, qui eosdem in beſtias mutat*, librum tandem in ignem conjecit (*z*). Succedat Varillaſius, qui Saxoniæ quinque Academias, Wittebergam nempe, Lipſiam, Miſniam, Jenam, & Thuringiam tribuit (*a*). Huc etiam quodammodo pertinet error ille, quem Ulricus Reichentalius, Canonicus Conſtantienſis, in Hiſtoria Germanica Concilii

(*y*) Menagian. T. IV. p. 23.

(*z*) Teſtis eſt Franciſcus Corealis in deſcriptione Itineris ſui in Indiam occidentalem, e qua hæc referuntur in Actor. Erudit. Supplem. Tom. VIII. p. 267.

(*a*) Vid. Fr. Gu. Bierlingii Commentat. de Pyrrhoniſmo hiſtorico p. 106. De exterorum, præcipue Gallorum, erroribus Geographicis Diſſertatio Chriſtiani Gryphii, lectu jucunda, extat in Miſcellan. Lipſienſ. Tom. X. p. 1. ſqq.

cilii Conſtantienſis (*b*) erravit, vocem *Hæreſiarcha*, chartaceæ inſulæ, capiti Jo. Huſſi comburendi impoſitæ inſcriptam, ex Græcæ linguæ ignorantia ita explicando, ut ea arcam vel vas, cui omnes hæreſes incluſæ ſint, indigitari opinetur: *Hæreſiar-*

cha,

(*b*) Fol. 32. rariſſimæ editionis Auguſtanæ A. 1483. Hac occaſione ex eo opere ſpeciminis gratia adſcripſiſſe juvabit bina loca, haud illepida. fol. 19. *Darnach kam alle Tag Botſchaft, wie unſer heyliger Vater der Bapſte Johannes der drei und zweinczigeſte auff dem Weg wär unnd her gen Conſtencz czuge, als auch war was. Und do er herauſs auff den Arlenberg kam bei dem mittel nach bey dem Klöſterlin do viel der wagen darinne er für umb. und lag in dem ſchnee er under dem wagen wann der ſchnee dozemal gevallen was. und als er alſo in dem ſchnee unnder dem wagen lag do kamen zü ym ſeine diener und churtiſanen dye dem hoffe dann nachlieffent. Unnd ſprachent zü ym heyleger Vatter gebricht ewer heyligkeyt ichts. do antwurt er inen in Latin.* Jaceo hic in nomine dyaboli *das iſt zü Teutſch geſprochen.* ych lig hye in dem namen des teüfels. *Nun ſtat hernach gemalet wie er in dem ſchnee lag.* A. fol. 91. usque ad fol. 242. numerum cenſet auctor eorum, qui iſti Concilio interfuerunt: ubi mirandum oppido eſt, Conſtantiam tot hominum myriadibus hoſpitia præbere potuiſſe. Hic ejus induſtria eo usque ſe extendit, ut & proſtibulorum, ibi tum degentium, numerum definiat, fol. 241. ſcribens: *Offen Frawen in den Frawen heüſſern und ſunſt frawen, die heüſſer gemiet hetend und in den ſtellen lagent und wa ſy mochtent der warent ob ſybenhundert. on dye heimlichen die laſs ich beleiben.*

cha, das iſt im Teutſch, ein Vaſs, do alle Ketzerey in beſchloſſen iſt (*c*). Sphalma vero literarium, in verbis ſequentibus latens, eruditis Ephemeridum Gallicarum (*d*) auctoribus, morum in Academiis noſtratibus receptorum haud adeo gnaris, condonandum eſt: *On a inſeré ici* (ſermo de D. Jo. Mich. Langii Introductione ad Poëſin Barbaro-Græcam eſt, quæ Altorfii 1706. in 4. prodiit) *la ſeconde Edition de deux Theſes Publiques, dont la premiere fut ſoutenuë le 21. Octobre 1707. par Joachim Michel Doederlin, M. Langius y étant Préſident: la ſeconde, le 29. Decembre 1688. par M. Langius lui-même, & Joſeph Heiſſius,* Jean Guillaume Duc de Saxe y préſidoit. Diſputatio autem illa, cujus præſes heic dicitur Dux Sereniſſimus, agit de diſcrimine Linguæ Græcæ veteris & recentioris: atque adeo Princeps hic Celſiſſimus eo nomine inter illuſtres Grammaticos referendus foret. Sed norunt apud nos omnes, in titulis exercitationum Academicarum honoris gratia Rectorum Magnificentiſſimorum, ſi qui

(*c*) Plura ineptiarum hujusmodi etymologicarum exempla alio tempore dabo.

(*d*) Journal des Sçavans. Tom. XXXIX. A. 1708. p. 81. edit. Amſtelod.

qui eo tempore ex Principum ordine Academiis præſunt, illuſtriſſima nomina adſcribi ſolere, licet ne unica quidem ſyllaba diſſertationum eorum labori debeatur. Præſes vero memoratæ diſputationis fuit Jo. Mich. Langius. Forte quis ſoloecismis etiam annumeraverit errores in præſtantiſſimo Bibliothecæ Cardin. Imperialis Catalogo, qui Romæ A. 1711. in fol. auctore Celeb. Juſto Fontanino typis exſcriptus eſt, occurrentes, quando v. g. Caſpar Brochmannus inter Dogmatiſtas Romano-Catholicos f. 598. Abrahamus Heidanus inter Socinianos f. 612. Petrus Saulnier auctor libri de capite ſacri Ordinis S. Spiritus (*e*) fol. 619. inter ſcriptores Ordinum equeſtrium, & Annales Wengartenſes inter ſcripta de Weſtphalia f. 685. referuntur. Agmen ſoloeciſtarum jam claudat, cujus ferme oblitus eſſem, Monacenſis Ignatianæ ſocietatis ſodalis, cujus craſſam in re literaria inſcitiam Maximilianus Miſſon (*f*) ita

(*e*) Liber hic mihi ad manus eſt: non vero agit de ordine equeſtri & ſeculari, ſed ſacro S. Spiritus, cujus Monaſterium in patria quoque mea eſt. Alios de eo Scriptores enarravi Part. II. p. 423. ſq.

(*f*) In ſeiner Reiſe nach Italien. Part. I. p. 134. ſq. edit. Lipſ. 1713.

ita depingit: *Wir wurden von einem Frater hinein* (in Bibliothecam ſcilicet Collegii Jeſuitarum) *geführt, der ſich allem Anſehen mehr auf die Küche und ein gut Stück Eſſen, als auf die Bücher verſtunde. Und bekenne ich gar gerne, daſs mich nicht bereden können, daſs eine ſo unerhörte Unwiſſenheit unter dem Habit eines, der ſich einen Jeſuiten nennte, ſollte verborgen ſeyn. Allermaſſen wir dem Frater mit aller Bemühung nicht bedeuten können, was die Patres, das iſt die alten Kirchen-Lehrer, vor Dinger wären, und wolte er uns alle Patres ſeines Collegii bey ihren Nahmen nennen, ob wir etwa darunter die jenigen, die wir ſuchten, finden möchten: endlich aber bat er uns mit einer verdrieſslichen Mine, von Büchern ſtille zu ſchweigen, und von etwas anders zu reden.* Cui ſummo jure ſocius adhuc dandus eſt ille Bibliothecæ præfectus, de quo in Menagian. Tom. II. p. 235. hæc narrantur: *Un Bibliothécaire Moine trouvant un* Livre *Hebreu, & ne ſachant ſous quel titre le mettre dans ſon Catalogue, mit:* Plus un Livre, *dont le* commencement *eſt à la fin.*

§. 20.

§. 20.

Corollarii loco heic adjicio arguta epigrammata in ſoloecismum, non quidem literarium, ſed a literatiſſimo homine commiſſum, quæ legiſſe pœnitebit neminem.

De Legato veſtis pelliceæ, quod Juſtus Lipſius
Jam jam moriturus Divæ ſuæ Virgini reliquit provide (*g*)

Adeſte Orbilii, quot eſtis, omnes,
Vos paucis volo, Virgini virilem,
Veſtem linquere congruum videtur.

* * * * * *
* * *

Politiorum amator ille verborum
In brevia maluiſſet incidere & Syrtes,
Quam dictionem protuliſſe non rectam:
Peccans in actu Mimus ecce ut extremo
Ridetur, & proſcenio exulat toto:
Nempe is virilem virgini dedit veſtem.
Tabulis ſupremis, marmori titulum inſcribe.
In morte fecit Lipſius ſoloecismum.

Lipſius

(*g*) Hæc una cum teſtamentis Cynici cujusdam Philoſophici in regno Neapolitano mortui, & Grunnii Corocottæ vulgata ſunt Roſtochii A. 1610. in 4.

* * * * * * * * *

Lipſius ut moriens exacto frigore ſenſit
Pelliceæ ſibi jam non fore veſtis opus:
Illam ſupremis tabulis pro munere donat
Cantatæ toties per ſua ſcripta Deæ.
Vidit homo frigere ſuæ miracula Divæ,
Craſſaque pro calido ſtragula thure dedit.

II.

EPISTOLA

AD (Tit.) DOMINUM

GEORGIUM SICISMUNDUM FÜHRERUM,

DE

JOHANNE FAUSTO,

M. JOHANNIS CONRADI DURRII, Prof. Alt. *

Magnif. Nobiliſſ Strenuiſſ. & Pruden-tiſſ. Vir, Domine & Patrone multa cum obſervantia Colende.

SEdet utique fideliter in animo promiſ-ſum, quo me Tibi jam ab uno alte-roque menſe devinctum tenes, idque per Magnif. noſtrum Procancellarium pri-mùm

(*) Diſſertationem hanc epiſtolicam, lectu non in-jucundam, benevole mecum communicavit Theolo-gus Altorfinus Celebratiſſimus, D. Guſtavus Geor-gius Zeltnerus.

mùm præſentem, dein per epiſtolam nuper adeò in memoriam revocaſti. Et v. eò facilioris negotii res mihi accidit, quod de fabella aliquem Doctorem Fauſtum fictitium eum & imaginarium in ſcenam provocante, jam ſuperiore anno in gratiam Viri Cl. & Amici, Jenæ ætatem agentis, nonnihil commentatus fueram. Interea ut dies diem docere ſolet, ex iſto, qui ſubitò natus fuit manipulo rationum ea exſurrexit amplior veritatis meſſis, quæ totum horreum implere poſſit. Diſſimulare autem nolim, primum omnium, qui aſſenſum meum ab hiſtoriola illa, pueris & annicu-lis credita retraheret, fuiſſe Guil. Schickardum, qui in ſuo, quod appellare libuit, Bechinath p. 126. inter fabulas referre non dubitat, famoſiſſimam illam & multis quoque gravibus viris creditam fictitii cujusdam Doctoris Fauſti legendam, quam tamen ſaniores non niſi in hunc finem excogitatam ſtatuant, ut promiſcuam plebem in ſuperſtitiones & magicas artes pronam, tragico, quem affingunt, eventu, ab ejusmodi ſceleribus deterreant. Apparet autem ex præfatione, quam operi iſti ad umbilicum perducto præmiſit Schickardus, fuiſſe, qui litem ipſi intenderant ſuper lato iſto

judicio: itaque hunc omninò in modum adverſariorum tela retundere ipſi eſt viſum. Doctoris Fauſti magi apud plebem celebris legendam, quam p. 126. fictitiam, non niſi aliorum autoritate ſtatui, ſunt, qui etiamnum veram credant; cum his non contendam; Si forte patriam ſuam tanti præſtigiatoris origine honorari putaverint, dum ſibi popularem dicunt, ut olim de Homeri civitate inter Græcos certatum fuit. Hæc cum ita à compluribus annis legiſſem, malui rem tum quidem in medio relinquere & altius cum animo reputandam commodiori occaſioni reſervare, quàm præcipitato judicio dubiæ aleæ famam exponere. Nunc demum animo paulò confirmatiore liticulam iſtam accedo, oſtenſurus primùm, tantum abeſſe, ut iſtud commentum hiſtoriæ laudem mereatur, ut potius multis figmentis, abſurdis ineptiis, contradictionibus ſeipſum conficiat, & legentibus deridendum ſe propinet; deinde à ſtirpe, quod ajunt, exquiſiturus occaſionem ejus fabulæ papiſticis figmentis ita conturbatæ & confuſæ, ut neque pes neque caput appareat. Ut igitur rem à principio arceſſamus, conſtituamus primùm κριτήρια & normas omnis prudenter & utiliter ſcri-

bendæ

bendæ hiſtoriæ, quas complexus eſt Tullius lib II. de orator. & fuſius explicavit G. I. Voſſius lib. de art. Hiſt. c. 9. Sic autem docet Cicero: Quis neſcit primam eſſe hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, neque ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, neque ſimultatis. Paulo latius easdem leges diducit Franc. Balduinus Juriſconſultus in Inſtit. Hiſtoriæ: Præcepta, ait, ſunt hæc, ut habeatur delectus rerum narrandarum, ut narrentur res magnæ atque utiles: ut temporum & locorum notatione illuſtrentur; orationis luce commendentur, ut cauſæ, conſilia, eventus explicentur. Quibus meritò jungimus illud itidem apprimè notandum Quintiliani monitum, quo futurum oratorem inſtruit his inter alia verbis: Enarratio hiſtoriarum diligens eſſe debet, non tamen usque ad ſupervacuum laborem occupata. Nam acceptas aut certè claris oratoribus memoratas expoſuiſſe, ſatis eſt, perſequi autem quod quisque unquam vel contemptiſſimus hominum dixerit, aut nimiæ miſeriæ aut inanis jactantiæ eſt: & detinet atque obruit ingenia melius aliis vacatura. Nam qui omnes etiam indignas lectione ſchedas excutit, anilibus quoque

fabulis accommodare poteſt. Hæc quidem illi non contemnendi utique, ſicut omnis elegantioris eruditionis, ita hiſtoriæ etiam ex arte adornandæ magiſtri.

Liceat nunc bona Tua cum pace, Vir Magnif. & Nobiliſſ. præcepta iſta prudentiæ ſale adſperſa, ad noſtrum applicare inſtitutum. Ibi vero (etſi nolim audacius mea trutina tuum occupare judicium) alia ab iſtis omnia deprehendes in noſtra hiſtoria fabuloſa: hoc enim molli nomine tantisper appellavero, donec vel meo tantillo indicio apparuerit, fabellam iſtam pellucere (ut ait Comicus) quaſi laternam Punicam.

Ergò primò omnium deſideratur & veritas & gravitas & cumprimus authoritas, imo vero impræſentiarum notitia authoris. Jam profitetur Author præfationis præmiſſæ editioni Noribergæ ante hoc biennium procuratæ in multis exemplarium editionibus antehac prodeuntibus multa falſa fuiſſe admixta, multa etiam prætermiſſa fuiſſe. Illam autem editionem conſentire cum primo autographo, quod Chriſtoph. Wagner Famulus D. Fauſti amicis familiaribus de mandato heri ſui paulò poſt tragicum exceſſum obtulerit, & poſt in ve-

veteri quadam bibliotheca fuerit aſſervatum. Examinabimus hanc rem ad obruſſam παιδείας & prudentiæ, cognoſcendi verum authoris alicujus nomen. Sunt autem γνωρίσματα & notæ ferè iſtæ præeunte B. Danhawero in Id. bon. interpret. & malit. calumn. p. 178. I. Titulus & inſcriptio. II. Styli identitas. III. Deſcriptio ejusmodi circumſtantiarum, quæ ad hunc authorem quaſi manu ducunt. IV. Teſtimonium tum proprium, tum aliorum teſtium fide dignorum. Quis vero putet 1. titulum hunc, quem præ ſe fert noſtra editio Norib. ab ipſo autore Fauſto eſſe inventum: *Das ärgerliche Leben und ſchröckliche End.* An is dixerit vitam ſuam improbam & ſcandalorum plenam, quam vivus tot cachinnorum & riſuum effuſione approbavit? an is vivens & ſua manu titulum appingens ſuo ſcripto horribilem ſuum ex vita exitum appellaverit? 2. Stylus ipſe jam humi repit, jam ſidereo ſpiritu & divina quadam majeſtate intumeſcit, ut legenti cognoſcetur. 3. Quam bellè conſentiant circumſtantiæ, paulò poſt videbimus. 4. Qui ſunt teſtes fide digni, qui teſtimonio perhibendo ſufficiunt, de Authore D. Fauſto? An eſt Chriſtoph Wagner,

quem vendicat noſtra editio? Ecquis vero ille Wagnerus? an Famulus D. Fauſti? Id vero alio certiore documento oſtendatur, quàm quod ipſe liber ſuſpectus ſuppeditat. Ubi verò edita eſt hiſtoria ipſius Wagneri? Nempè in Hiſpania à Friderico Schotto Toletano, qui eam accepit à quodam fratre Martino ordinis Benedictini, & primùm edidit A. 1594. ut colligitur ex fine ejus libri. Mirum verò quòd hic liber in Hiſpania primùm editus ſit, Hiſpanico idiomate, cum in Germania & vixerit & præſtigias exercuerit Wagnerus, & typographia longè ante in Germania uſurpata fuerit, quàm vel ejus fama ad Hiſpanos pervolaret. Nunc examinabimus circumſtantias ad cognoſcendam quamvis veri nominis & certæ fidei hiſtoriam neceſſarias. Patriam tribuit editio noſtra Comitatum Anhaltinum. Non jam urgebo, Comitatum Anhaltinum Sec. XII. fuiſſe commutatum in Principatum, adeoque aliquot ante Seculis, quàm infauſtus ille Fauſtus ex inferis emerſerat. Qui verò Parentes? Mirum, quòd eos non indicarit nomine Fauſtus: quòd non ſignificaverit Famulo Wagnero, quòd hic etjam indictos præterierit. Quis verò ille Fauſti Patruelis, isque dives opum, isque

que Wittebergæ domicilium habens? Nempè perſuaderi debebat, credulæ turbæ Wittebergam eſſe altricem præſtigiatoris ſceleratiſſimi. Porrò ætatem ſuis artibus nigromanticis (in hanc enim vocem barbaram transformarunt infelices grammatici vocabulum uſitatum necromanticus) illuſtravit Fauſtus? Anteceſſit (ait noſtra editio) Lutheri reformationem, Mirum quòd heros noſter Evangelicus, rerum ante ſe actarum, ſive earum ad Eccleſiam, ſive ad vitam civilem pertinentium utique ſcientiſſimus, nusquam ejus celebrati magi meminerit vel verbulo: nusquam in eum, quo flagrabat ſpiritu, invectus fuerit, nusquam ejus exemplo juventutem ab incantationibus dehortatus fuerit: mirum quòd nec Philippus, nec Eraſmus, nec Camerarius, nec Sleidanus, nec Sleidonomaſtyx Laur. Surius, nec ullus alius ſuperioris ſeculi ſcriptorum, quaſi divinitus miſſorum ad detegenda multa arcana, quæ hactenus tenebris papiſticis obruta jacuerant, mentionem hominis fecerint. Nondum ceſſo quærere homo ζητητικός. Quæſo te, qua ætate, quo anno vixit ante Lutherum Fauſtus? An Carolo V. fuit σύγχρονος? Negat author noſtræ editionis in admonitione

præliminari præmiſſa c. 10. p. 2. p. 412. & ſubſtituit Maximil. I. Imp. qui Imperatoria clementia complexus fuerit Fauſtum, qui magicâ arte ſpectandum ipſi exhibuerit Alexandrum M. in ſplendido comitatu Conjugis apparentem. Hæc dum animo reputo, non poſſum effervescentem continere bilem, adverſus improbum Authorem, fuſis impudentiæ habenis ſuper famam Imperatoris ſapientiæ, pietatis, juſtitiæ, & quarum non virtutum? gloria eminentiſſimi provectum. Ergóne Imperator Auguſtiſſimus delectatus fuerit præſtigiis phantaſticis? Ergóne tam Sanctus, tam gravis Monarcha in intimam familiaritatem admiſit mancipium Sathanæ? hominem flagitiis & ſceleribus infamem, Dei juratum hoſtem, ſcurram, blasphemum, lucronem, & quid non? Ergòne Imperator omnium rerum, quæ tædia negotiorum publicorum diſpungere poſſint, copia circumfluens non ſatis paſcere animum queat amœnitatibus divina bonitate conceſſis, niſi diabolicæ prætereà artis ludibria in ſocietatem earum adſciſcat? Id verò ſi eveniſſet, annon aliquis hiſtoricorum, quorum ampla iſta ætate copia erat, vel verbo ſubinnuiſſet? Annon graviſſimus Vir Joh. Cuſpinianus, eadem

ſæpè

ſæpè cùm Imperatore iſto patina vivens, vel nutu diſſenſum indicaſſet? annon memorabile iſtùd facinus in vulgus emanaſſet? in faſtos & annales relatum fuiſſet? annon (quod nunc demum ſuccurrit) potius Imperator hominem imparatum, monſtrum ſcelerum, orci victimam, comprehendi, vinciri, in barathrum teterrimum conjici, equuleis & fidiculis torqueri, denique exquiſitiſſimis cruciatibus è conſortio generis humani exigi & in eum locum duci juſſiſſet, quem ipſe non niſi pileo à capite remoto venerabundus & hac voce prolata præterire ſolitus eſt: Salve Sancta juſtitia? Sed confuntandus eſt juſta indignatione ebulliens ſtomachus. An vero illud veritati conſonum ſit, quod Fauſtus primùm Magiſter deinde Doctor Medicinæ ſit creatus Ingolſtadii, ex hujus Univerſitatis annalibus rectius cognoſcetur. Fredium certè poſterius nec credere nec concedere velle indicat Author edit. Norib. ſub. fin. c. 1. Ecce, quam ſuaviter, ſi Diis placeant, conſentiant perſona, locus, tempus! videbimus nunc quas res atque utiles ceu ſupra loquebatur Balduinus Juriſconſultus, complectatur libellus noſter hiſtoricus. Sequamur ſumma rerum fa-

Alia editio indicat Theol. Doctorē creatum fuiſſe.

faſtigia, & velut per ſaturam recenſebimus gerras, ſiculas, quarum ipſa lectio fidem apud cordatos & prudentes abrogat: Igitur præceptori D. Fauſti inditur nomen Mephoſtophiles. Quid id monſtri eſt? num credamus ullum in inferno Diabolum eſſe, qui iſtuc nominis gerat? At & œdipus mihi eſſe videor. Rudis & infrunitus ſcilicet monachus, qui libellum iſtum ex ſuo ingenio velut araneus telam finxit, per ſomnium monaſticum inaudivit, aliquem è Diabolorum caterva amare nomene Megaſtophili (μεγαςοφίλα) ut intelligatur, ſe magnum & præ aliis eminere velle, ceteros volitare velut umbras; ipſe portentoſa μεταμορφώσει transmutavit Megaſtophilum in vocem ἄσημον Mephoſtophiles. c. 12. l. 1. Porrò ingenioſus Mythicus attribuit Spiritui, qui appariturus poſthæc Fauſto erat, habitum monaſticum, ſic tamen ut admoneatur ne ſanctos monachos ludibrio habeat, præſertim quòd iſto veſtitu ac præcipuè S. Franciſci, ipſi Imperatores, Reges, Principes fuerint gaviſi. Nempe inter ipſas præſtigias Sathanicas conſulendum eſt dignitati & reverentiæ Sanctiſſimi monachorum ordinis. Simul autem deprædicanda erat infernalis magiſtri dignitas. Eſſe ſe, ajebat, ſapientiſſimum, do-

doctiſſimum & ſubtilem Spiritum, qui tamen non dedignetur cucullum monaſticum. l. 1. c. 15. Idem infernalis Doctor, dum Diſcipulo ſuo methodum ſacrorum ſtudiorum præſcribit, in materiam argumentorum ad diſputandum propoſitorum, commendat doctrinam de Conciliis, de ceremoniis, Miſſis, Purgatorio, & ſimilibus fidei articulis. Nempe non alium magis autorem decebat commendatio iſtorum myſteriorum ex Appollinis utique tripode exſufflatorum. ib. ſub fin. Perge etiam, inſuſurrat Præceptor ibidem diſcipulo, ſcrutari Patres, illos ſcilicet, qui iſtis eleuſiniis ſacris cuſtodiendis ſunt præfecti. Quanquam paulò poſt, contractu velut in meliorem ſententiam reducto, cum Doctore ſuo paciſcitur, ſe non luſtraturum libros S. Scripturam dictos, neque diſputaturum de rebus fidei, ſtipulatur autem ſimul ab eodem, ut omnia ea ſe doceat breviter & perſpicuè, quorum cognoſcendorum cupido ſe inceſſat. Et ſanè ſi Laicis apud Pontificios negatur poteſtas penitius introſpiciendi arcana Eccleſiaſticæ Pontificiæ, ne nimia familiaritate & ſparſa in vulgus promiſcuum notitia, vileſcant; & ſatis eſt fide carbonaria ea venerari: cur non procul ire jubeatur

homo

homo profanus, & Erebo magis, quàm purgatorio vicinus? cum etiam ſtygii Spiritus indigni ab ipſo Deo habentur, qui gloriam ejus manifeſtent. l. 1. c. 19. Illa verò religioſa veneratione acceptanda à Fauſto ſuo putat Spiritus, quæ ex Dionyſio Areopagita, dudum nugarum convicto, ex Scriptura Sacra ſæpè mutilata aut pravè interpolata, ex Scholaſticis garrit de Spirituum infernalium à Dei æterna rejectione, de angelorum in varios ordines diviſione, de loco Paradyſi, de Solis & Planetarum è locis ſuis transmigratione, de pomis paradiſiacis, de defunctorum animabus, de Spirituum malorum in certas claſſes ordinatione: Suntque iſti ſermones ita comparati, ut cum pleraque ſint fabuloſa, & conficta, illis tamen aliquid veritatis ſacræ admiſceat, ut aliquam veriſimilitudinem conciliet, & os melle ſublinens, abſynthia præbeat. Eſt verò id conſuetudine receptum in Diabolicæ eloquentiæ gymnaſio, ut, cùm fidem conciliare ſatagit ſuis, quæ diu parturiit, mendaciis, ſimplices homulos adoriatur partim byſſinis, partim veritatis ſpecie abblandientibus verbis, quibus dum locus relinquitur, faciliorem ſibi viam aperiat ad ſuggerenda clàm nihil tale ſuſpicantibus mendaci-

daciloquia, qualem ſcilicet ludum in noſtro Agro Altdorffino ante paucas hebdomades ludere eſt auſus, dum mulierculæ ruri gramina vellenti ſub ſpecie ſive virunculi ſive pueruli, albo induſio nitentis apparuit, prædicturus imminentem tempeſtatem & pœnam divinam graviorem, niſi pœnitentia eam averterimus. Atqui utrumque non neceſſe eſt, nos à Genio aliquo ſive bono ſive malo edoceri: nam tempeſtates humanis præſagiis præcognoſcuntur, & pœnarum minas intentas nobis Deus, nullo accedente miniſterio cujuscunque angeli. Sed nimirum, ita eſt, ut quondam B. Lutherus indicavit; Diabolus ſemper alterum pedem ſuggeſtui ſacro vult inferre. Sed ecce nunc prominentem alterum nigricantem, caprinum & mendaciorum fœtore marcidum Spiritus Fauſtini pedem! quanquam ſi Hebræorum adagium audimus, mendacium aliàs non habet pedes. Juvatne colligere floſculos in Paradiſo Satanico collectos? l. 1. c. 22. Non prorſus deſperamus (ſpiritus infernales,) ſed etiamnum ſperamus ſalvatum nos iri. Quin eò audaciæ procedit impudentia Spiritus Mephoſtophiliani (nec enim invidebimus horridiusculum & dignum Erebi portis nomen) ut aſ-

ſeve-

ſeverare non dubitet ἄτερ γραφῆς. Chriſtum non tantùm pro hominibus ſed prò omnibus etiam creaturis anima rationali & intelligente præditis eſſe mortuum: ſecus ac docet divinos Apoſtolos, Diabolos quidem credere, ſed tamen contremiſcere. Videmus porrò unum & alterum exemplum earum, quæ venditantur hiſtoriarum, quamque benè cohæreant, conſideremus. Ac primum quæ referuntur c. 33. & 34. de equiſone & porcorum venditore vel propola, illa Dubravius l. 23. hiſt. Bohem. tribuit famoſo illi mago & præſtigiatori Zytoni Bohemo, ſicut hanc hiſtoriam ex Dubravio deprompta retulit in ſuas diſquiſitiones magicas Martinus Del-Rio l. 2. 9. 6. Fallor an hiſtoria de plauſtro fœni juxta cum ipſo plauſtro & equis devorato à Fauſto detruncata eſt ab illa, quam itidem ex Dubravio recenſet Phil. Camerarius Operum ſubciſiv. Cent. 1. c. 70. Ipſa verba adſcribam, ut Nobiliſſ. Magnif. T. evolvendi labore ſublevem.

Cùm Wenceslaus filius Carol. IV. filiam Ducis Bavariæ Sophiam uxorem duxiſſet: novus ſocer ubi generum ludicris ſpectaculis & magicis præſtigiis delectari cognovit, plenum præſtigiatorum PLAUSTRUM

ſe-

ſecum Pragam advexit. Ibi dum præſtantiſſimus artificum ludibria artis ad permulcendos oculos explicat, adeſt inter ſpectatores ZYTO, Wenceslai magus, ore usque ad aures dehiſcente, accedensque propius, artificem illum Palatini cum omni apparatu ſubitò devorat, ſolos duntaxat calceos, qui luto obliti videbantur, expuens, ſeceſſumque inde petens ventrem inſolita eſca gravem, in ſolium aqua plenum exonerat, præſtigiatorem adhuc madidum ſpectatoribus reſtituit paſſim deridendum, adeò ut ceteri quoque ejus ſocii à ludo deſiſterent. Benè tamen eſt, quòd Author noſtræ editionis Norib. ipſe vocat illud miraculum faſcinationem vel occæcationem.

Sed nunc quæſo, expende mecum Vir rerum hiſtoricarum ſcientiſſime, (ſaltem enim hac vice patiaris, Tibi Vir Nobiliſſime, iſtud nominis à me imponi) qua ἀνιστορησίας vertigine laboret editionis noſtræ Noribergenſ. Author. In c. 9. l. 2. narratur, Lipſienſes excepiſſe Cardinalem Campegium ad ſe adventantem, & multis honorum generibus affeciſſe, ſimul autem Fauſtum tum fortè præſentem & ipſum artis ſuæ nervos intendiſſe & venationem in aëre inſtituiſſe. Quem verò vel tironem

hiſtoriarum fugere poteſt, Campegium Cardinalem functum fuiſſe officio Legati in Germaniam in cauſa Lutheri, ubi peculiariter Noribergam tranſierat, ceu liquidò conſtat ex Sleidan. l. 4. de ſtatu religionis ad an. 1524. p. m. 93. & 94. Atque hoc utique tempus eſt illud, quo rerum habenas tenuit Carol. V. Nunc verte mihi paginas, ſi placet, non totas quatuor. Ibi verò redarguit editor noſtræ hiſtoriæ primum editorem, quòd nomen Caroli V. pro nomine Maxim. I. poſuerit. Ergone Maximilianus I. Campegio ætate æqualis fuit? & annon potius Carolus V. εὔδηλον!

Nunc quid ſentiamus de prophetiis ipſius Lutheri Reformationem antegreſſis. Quas quidem editor modeſtiæ memor, ea libertate lecturis permiſſa proponit in Nota l. 3. c. 3. ut ex ingenio ſuo cuique liceat addere vel demere fidem. Nempè facile eſt, præſagia ſcribere, & qui præſagiorum eventus exemplorum & experientiæ fide oculis & auribus habet ſubjectos: ſimul etiam animo eos præcepit ut prædicti fuerunt à Nicolao de Clenardii, à Joh. Huſs, ab Hieronymo Pragenſi, ab aliis, qui magno numero memorantur in catalogo teſtium ve-

veritatis,& aliis paſſim extantibus libris. Quis enim adeò hebetis ingenii fuerit, ut nòn perſpiciat, quæ a lare familiari ſuggeſta ſunt D. Fauſto l. 3.c. 3. vaticinia (de papatus faſtu & arrogantia poteſtates politicas pro virili convellente & ſubvertente, easque imbelli monacho coercente; de magna & ignem ſpirante atque ex occidente in germaniam ſubvectis alis, volante aquila; an verò is alius quàm Carolus V. fuerit? de neglecta à parentibus liberorum educatione; De magiſtratus deſidia in promovenda ad bonarum literarum culturam juventute; de collatis ad voluptates opibus è miſerorum ſubditorum ſudoribus exactis; De ſubſequente denique totius mundi machinæ interitu & abolitione;) à quamplurimis piis iſtam ætatem antegreſſis anteverſa fuiſſe? καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

Unum adhuc, antequam primam quam mihi conſtitui, epiſtolæ hujus partem abſolvam, liceat monere. Qui fabulam iſtam pro hiſtoria memorant, plerunque tuentur ſe iſto dicterio Grammatico: Ajunt, dicunt, ferunt, perhibent. Vel ut remoto joculari ſermone ſeriò pandam, muniunt ſe iſto vulgari præſidio: Fama fert. Cui formulæ quantum tribuerit communis

noſter Præceptor C. A. Rupertus ipſe indicavit hoc argumento, in obſerv. in Synop. Beſold. min. p. 670. 671. propoſito: Cuicunque narrationi appoſitæ notæ: AIUNT, FAMA EST, FANDO ET ORE VULGI SALTEM ACCEPIMUS; ea uti commemorari poteſt, ita pro certa & fideli ſive approbata nec accipi poteſt nec debet. Idque probat aliquot Hiſtoricorum exemplis. Equidem ſententiam ſuam prodit Vir ſummus & prorſus incomparabilis G. I. Voſſius lib. de art. hiſt. c. 9. Ridicula, inquiens, Græculorum atque aliorum etiam vanitas, qui ut auditorem admiratione percellant, confugere ſolent ad ficta prodigia, ac res fidem omnem excedentes, atque ad effugiendam vanitatis notam ſatis fore putant, ſi addant ſolemne ſuum AIUNT, FERTUR, vel aliquid, quod tantundem valet. Cui theſi à ſe adductæ lucem affundit Voſſius illo Senecæ ex lib. 4. natur. quæſt. vel inprimis ad præſens noſtrum inſtitutum faciente: Quod hiſtorici faciunt, & ipſe faciam; illi cùm multi mentiti ſunt ad arbitrium ſuum, unam aliquam rem nolunt ſpondere; ſed adjiciunt: Penes auctores fides erit; certè Mart. del-Rio narraturus aliquid de Fauſto & Agrippa l. 2. disquiſ.

mag.

mag. 9. 12. p. 170. FERT FAMA, inquit. Et philoſophus Camerarius noſtrâs lepidam fabellam de Fauſto prolaturus l. cit. cent. 1. c. 70. Fauſtinam ait, deceptionem FERUNT, ejusmodi fuiſſe. Jeremias verò Drexelius artem excerpendi monſtraturus in aurea ſua aurifodina, dum exempli cum infinitis aliis, loco adducit illam ipſam Camerarii narratiunculam part. 2. c. 8. Hoc totum, inquit, excerpſi, ſed meis verbis. E quibus vero auctoribus? Eos non alios laudat quàm Simonem Majolum & Philippum (ſic enim debebat ſcribi) Camerarium. Ut adeò is ipſe eam rem deſcribat illorum fide, qui illo proletario FERUNT innituntur. Quid? quod Camerarius loco cit. profiteri ingenuè non dubitat, Johanni Fauſto Cundlingenſi eadem ludibria adſcribi, quæ ipſe modò de Mago Bohemo dixerat.

Hactenus ergò argumentis non contemnendis, iisque quæ ex præceptis hiſtoriarum γνησίοις, nec non ex circumſtantiis, quibus res connecti debent & ſolent, petita ſunt, eviciſſe mihi, ſi quid eſt in me ingenii, aut judicii videor, ſermunculos iſtos ſive vulgi ore circumferri ſolitos, ſive literarum monumentis proditos non eſſe

dignos nomine hiſtoriæ aut veritatis authoritate. Quonam verò titulo ſim dignaturus, ſi me effari impuleris. Vir Nobiliſſime & Strenuiſſime, dicam hiſtoriam eo ſenſu, quo Plautus ejus generis fabulas hiſtoriarum nomine dignatur, ut cùm alibi, tùm Bacch. Act. I. Sc. II. ejusmodi hiſtoriæ fabularis ſcriptores fuere, Onomacritus, Lesches, Arctinus, Eumelus, alii, quorum poëmata in unum corpus conflata dicebantur ἐπικὸς κύκλος, ut eruditè oſtendit Iſaacus Caſaubonus in animadverſ. in Athenæum. l. 6. c. 3. ego vero obſervationem iſtam debeo G. J. Voſſio lib. de art. hiſt. c. 6. Neſcio an liceat bona cum pace eruditorum dicere ad formam Amphitruonis Plautinæ TRAGICO-COMOEDIAM. Nunc quia privata ſuo merito veſte hiſtoricâ eſt fabula Fauſtina, & Leberide nudior proſtat, ſupereſt, ut privatam meam ſententiam tandem in medium proferam, quæ cum primùm ad Lipſienſes ſuperiore anno deferretur, ſuſpenſos, ceu audio, tenuit eorum animos. A Jenenſibus autem æquo & grato animo accepta eſt, ſiquidem jactatiunculam hanc ferre potes, Vir Magnifice, in me homine Philoſopho, & imbecillitati iſti hominum generi familiari, vel hac vice ſuccumbenti.

Sic

Sic igitur ſubducta ratione & collectis diligenter cùm temporis tum aliis circumſtantiis tandem apud animum meum cenſui. Vixit circa annum chr. 1440. contingentem vicinia ætatem Maximiliani illius I. (glaucomate Fauſti magi ut olim Ulyſſes Circes veneficiis conturbati, ſi fabulæ iſti fidem amplius tribuere liceat) Johannes Fauſtus Germersheimenſis, Palatinus. Is excitatus fama artis noviter inventæ, ita ordinandi inverſa figura literas, ut iis attramento illitis, charta aliquoties ſüperimponi & figuras earum literarum recipere brevique adeò tempore plurima exempla deſcribendi copia eſſet, conceſſit Harlemum in Bataviam ad ejus artis primum inventorem Laurentium (Johannem vocat Georg. Hornius diſſert. hiſt. polit. 31. §. 22.) Coſterum, cumque eam artem animo comprehenſam teneret, ſubductis literis & neceſſariis ad eas articulatæ ſcripturæ aptandas inſtrumentis ipſis vigiliis natalitiorum Chriſti clàm aufugit, ac primùm Amſterodamum, dein Coloniam ac demum Moguntium venit: ſicut hæc prolixe refert Emmanuel Meteranus hiſt. Belg. l. 4. Ibi cum occultè, imò adminiſtris artis ſuæ ſacramenti religione ad ſilentium adſtrictis,

aliquot operis antehac nec viſi, nec auditi in Germania ſpecimina edidiſſet mirum non eſt, quòd ſuſpenſos admiratione cùm aliorum animos tum inprimis Monachorum in ſe converterit, imò etiam in ſuſpicionem magiæ & incantationis inciderit, quòd viderent, ab uno homine uno die tantum literarum imprimi, quantum vix uno anno ſcribi à pluribus poſſet: ut loquitur Polydorus Virgilius l. 2. de invent. rerum c. 7. Cumque à multo jam tempore ſcribendi opera magnum quæſtum facerent monachi & moniales, non potuit non in acerrimum odium & indignationem nec non calumniam incurrere, cum & offas ſuas attenuari, & culinas frigefieri, & luculentos ignes extingui paulatim ſentirent. Ergò propoſito ſibi velut in exemplum Demetrio illo argentario, in Actis Apoſtolicis, qui faciebat, templa Dianæ argentea, & præbebat artificibus non parvum quæſtum, facto velut agmine: Viri, inquiebant, ſcitis ex hoc quæſtu noſtras eſſe copias. Ergò quem ſceleris manifeſti convincere nequibant, feriati aliquandiu à bellariis & cupediis dentes Theonini eum calumniis opprimere & promiſcuis muſſitantium hominum odiis objicere omnibus modis

dis

dis tentabant: augente præſertim ſuſpicionem hinc noviter indies luminis oras velut ex tenebris emicantis inuſitatâ artis imperitia, illinc ſolertiſſimâ, obtegendi ſilentio exoſum artificium, curâ.

Ita miſer Fauſtus in magum eſt transformatus, & omnes ejus ſocii intra ſepta privatorum parietum latentes & ad ſilentium juramento adacti diabolici pacti ſunt inſimulati. Nec difficile porrò eſt conjicere, cur tot ludicræ & ſtupendæ actiones (*abentheurliche* vocat editus Noribergæ Autor) quaſi Diaboli ope exhibitæ tribuantur Fauſto. Cum enim iſthac tempeſtate quin è primis rudimentis facie non tam culta, nec tam ſpecioſa ac hodiè per Dei gratiam extat, emergebat, typographia, more receptum eſſet, ut jam in frontiſpicio, jam in calce, jam in mediis librorum figuras appingerent, partim è ſacris, partim è profanis hiſtoriis petitas, partim etiam proprio ingenio excitatas, & lectori riſum & legendi aviditatem movere ſolitas, invaluere ſuſurrantium & myſteria ejus artis ne quicquam aſſequentium rumuſculi, patrari clam palamve à Fauſto talia, quæ ipſius libris eſſent appicta. In hac ſententia confirmat me etiam illud, quod laudatus ſupra Me-

teranus memorat inter prima artis typographicæ ſpecimina, à Fauſto edita fuiſſe Doctrinalia Alexandria : quæ autem temporum eorum fuit ſtupiditas, fuerunt fortaſſè, qui opinarentur & in vulgus ſpargerent, à Fauſto Alexandrum M. arte præſtigiatoria in lucem produci. Idem hiſtoricus ſtatim ſubjungit, aliquot tractatulos (liceat βαρβαρίζειν) Petri Hiſpani typis exſcriptos, à Fauſto fuiſſe. Si quid eſt in me artis divinatoriæ, prorſus putarim, hunc eſſe Petrum illum, quo Præceptore uti oportuit adoleſcentem Maximilianum I. cujusque manibus malè precatum in menſa multis adſtantibus Cuſpinianus auritus teſtis memoriæ prodidit. Temporis certè circumſtantia non abhorret à mea opinione. Et edit. Norib. l. 2. c. 10. indicat, Fauſtum in magna apud Maximilianum gratia fuiſſe. Quod autem auguſtiſſimo & ſapientiſſimo Imperatori quisquiliæ & ſordes Petri Hiſpani bilem in naſum conciverint minus mirum videbitur, qui vel tenuiſſimum habitum odoris ejus illætabilis naribus attrahere velit. Mi divinâ (ſi Diis placet) virgulâ obtigit libellus Petri Hiſpani, quem ego cum intactis theſauris Arabum & divitiis Indiæ (ſcil.) nolim commutare, qui hoc titulo

per

per oculos legentium incedit: Copulata ſummularum Petri Hiſpani ſecundum proceſſum burſe Laurentii: juxta mentem venerabilis Domini Alberti Magni, feliciter incipiunt. Poſtquam inchoavit opus ſuum magnum, memorabile & ingens, ſumto velut altius principio: Dicitur, inquit, dialectica à dia, quod eſt duo, & logos, ſermo vel levis ratio, quaſi duorum ſermo vel ratio. Nempè hac lauru ornari decebat poſtes ædificii ſummuliſtici Petro-Hiſpanici. Deſinit libellus gemmeus in hæc verba: Commentarii in omnes tractatus Petri Hiſpani & nonnullos modernorum in Aggrippin. Colonie Florentiſſimo gymnaſio, quod burſam Laurentii vocant, ex divi Alberti Magni commentariis peraugufte memorie ſcientiſſimum virum Magiſtrum Gerardum Barderwicenſem artium liberalium Magiſtrum, nec non ſacræ paginæ profeſſorem eximium eccleſie Sancte columbe dum vixit paſtorem in eodem regentem olim elaborati, &c. ſatin vero ad palatum deliciæ Petrino-Hiſpanicæ? Imò verò recedendum eſt quantocyus ab iſta mephiti, ne acrior ejus moſchus cerebrum affligat, & deſcendentes inde vapores ſtomachi teneritudinem affligant. Experimento

mento enim non ſemel deprehendi, ſi quando exemta epulis fame menſisque remotis placuit convictoribus meis

— verecunda laxari ſeria menſa.

egò verò temetum iſtud Hiſpanicum ipſis propinari, miſeros pelvim petiiſſe, & non minus animi deliquium paſſos fuiſſe, ac ille ad mortem ſaucius, & ad rigidum medicaſtrorum tribunal ſtatutus Priſcianus. Sed deſinendum eſt nugarum! & redeundum è diverticulo in viam. Nempe concilianda eſt fides conjecturæ meæ, qua ego ex fictitio & ſcenico Johanne Fauſto mago cudendo, dolando, aſciando finxi refinxique verum & non necromantico ſed typographico atramento nigricantem Johannem Fauſtum. Ac de eo ita ſcribit Aventinus l. 8. hiſt. vel Chron. p. 422. edit. Germ. (nec enim niſi hanc poſſideo) *Eben auch genantes Jahrs* (1447) *iſt erfunden worden, die Truckerey zu Meintz von einem genant Hanns Fauſt, hat 2. Jahr daran zugericht. mit Hülff ſeines Eidams Peter Schäffers, von Garensheim* (ecce vicinam vocem & paulùm deflectentem à Germersheim, unde oriundum eſſe G. Hornii ſententia ſupra eſt oſtenſum) *dem er ſeine eigene Tochter Chriſtinam zu der Ehe gab. Die zween haben*

dieſe

dieſe Kunſt in Geheim gehalten NB. *niemands zuſehen laſſen.* NB. *haben alle Geſellen und Knecht zu ſolcher Arbeit und Kunſt nothdürfftig einen Eid ſchweren müſſen.* NB. *daſs ſie es niemand offenbahren noch lehren wolten. Doch über* 10. *Jahr haben jetzt genandtes Fauſten und Schäfers Diener dieſe Kunſt geoffenbahret, und öffentlich herfür ans Liecht gebracht. Hans Gutenberg von Straſsburg in Teutſchland, ſeine Landsleut Ulrich Han, und Sixt Reis, habens in Welſchland und gen Rom am erſten gebracht, iſt zu unſern Zeiten ſo gemein worden, daſs nirgend ein Winckel iſt, man drückt lateiniſch, griegiſch und hebreiſch darinn, ſeyn die Bücher ganz wohlfeil worden. Es druckt einer ein Tag mehr, dann einer ein ganz Jahr möchte ſchreiben. Peter Schäfer, obgenanten Fauſtens Erfinders dieſer Kunſt Enckel, druckt zu Meinz, und zu Strasburg, wo die Kunſt nicht erfunden wer worden, weren die alten Bücher alle verlohren worden, man will in den Stifften und Klöſtern nichts mehr ſchreiben,* (NB.) *die haben vor Zeiten die Bücher geſchrieben, die Schul aufgehalten.* Hæc Aventini & illa ſuperius ex Meterano adducta non difficulter amplius juvabunt diſtinctionem inter fabulam de Fauſto mago, & hiſtoriam de Fauſto typo-

gra-

graphiæ in Germania ſuperiore inventore vel procuratore. Conferamus ex utroque paucula quædam ſtrictim & velut opera perfunctoria. l. 1. c. 12. c. 27. c. 31. &c. Mephoſtophiles interdicit Fauſto ne conducat ancillam, ne per eam emanet magia (typographiæ) liceat autem conducere operam famuli, qui rem diligentius ſilentio premat. Fauſtus ſerviebat voluptatibus corporis cum ebriis ſodalibus, iisque Alchymiſtis & auri foſſoribus. Nempè quia Fauſtus opes acquirebat arte à conſpectu & notitia hominum remota, opprimendus erat iſta calumnia. l. 1. c. 14. ibid. Prædicitur ipſi à Mephoſtophilo odium & invidia hominum: ſanè non poterat eam effugere apud Monachos lucro, quod ex arte ſcribendi capiebant, jam privandos. Spiritus Fauſti (Monachorum invidus & maledicus) objicit, quod ſatis pecuniæ ex arte magica (Typographica) poſſit acquirere. l. 1. c. 32. Fauſtus mandat famulo ſuo Wagnero, ut ſilentii fidem præſtet: nec enim futurum putat, ut libri nicromantici divulgentur (ut ars typographica tam occultè à Fauſto habita innoteſcat hominibus) facta verò Fauſti poſt ejus ex hac vita abitum demum literis conſignanda eſſe: quæ ſci-

ſcilicet facta magica ipſi per calumniam ſunt impoſita: l. 3. c. 6. Fauſto moribundo conſolatio erat à Theologo (utique non Papiſtico; eo enim indignus erat ſcilicet magus: ſed Evangelico) afferenda ex merito Chriſti, non bonorum operum meritis: quæ conſolatio ſolis Catholicis (Papiſticis) eſt relinquenda. Scribo hæc & colligo veluti per ſaturam: è quibus paucis de ſimilibus reliquis facilè judicium ferre poterit, qui ingenii nervos intenderit. Mihi nunc calamum excutiunt vicini operarii, ſecuribus, aſciis, malleis, ſerris, vectibus, trabibus aures obtundentes, & majorem dulcibus ante omnia Muſis meis caliginem, minantes, quam bonus ille Fauſtus (credo enim ſic ſatis jam vindicatum à me eſſe innoxium & ab iſto ſaltem, quod ipſi intentatum fuerit, magiæ crimine immunem) in abditis ædium ſuarum partibus artis ſuæ adminiſtris impoſuit. Quod ſi & viſus & auditus (quos ſenſus imprimis famulari Philoſophiæ dudum Ariſtoteles docuit, certè omnes experimur, fideliorem operam præſtare nobis, quàm ullus Wagnerus ſocius hero ſuo Fauſto omni conatu commodabat) officium mihi poſthac intercipietur, periculum eſt, ne mihi cum Democrito Abderitæ

Phi-

Philoſopho, aut Didymo Alexandrino Theologo & ipſis cœcis, philoſophandum fuerit.

Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.

Ego ſanè illam perniciem, apud vos Patroni pro Sapientiæ tranquillitate, ut Ariſtoteles in Ethicis oſtendit, imperium gerentes, interpoſitis Muſarum & Charitum lachrymis & ſuſpiriis deprecor. Nec vero ægre ferre debet homo ὑπερβάλλων καὶ βάναυσος, ſi non meliore conditione eſſe permittatur, quàm eſſe in gratiam populi Romani libenter voluit Valerius, qui ne vel ſpecie arcis offenderet, ædes ſuas eminentes libens in plana ſubmiſit. Vale, Vir Magnifice & Prudentiſſime, ſtudiorum meorum grande & præſidium & decus, & prolixitati huic, quam argumenti gravitas videtur impoſuiſſe, veniam æquo animo largire, & legendæ hujus epiſtolæ copiam Magnif. Dn. Procancellario haud gravatim facito: Altdorffi d. 18. Julii. 1676.

Magnif. Nob. Stren. &
Prud.

Cultor obſequioſſimus,
J. C. Dürrius.

III.

De JOHANNIS AVENTINI ANNALIUM

Epitome, variisque ac variantibus Editionibus. (*)

CElebre inter Hiſtoricos Seculi XVI. nomen dudum ſortitus eſt *Joh. Aventinus*, Erneſti quondam, Incluti Bavariæ Ducis, Præceptor, & Hiſtoriographus Ducum Bavariæ, peculiari ſtipendio conductus; ut Hiſtoriam Patriæ elaboraret. Unde celebratum Annalium Bojorum opus condidit, cui quoque operi diesque noctesque incubuit ad finem usque vitæ, aliquot etenim tantum menſes; abſoluto eodem, ſupervixit, D. V. Id. Jan. 1534. æt. 68.

(*) Peregregia hæc diſſertatio Auctorem habet Virum quendam eruditiſſimum atque Celeberrimum. Cæterum de ſcriptis Aventini conferri meretur Jani Gregorii Betulii Epiſtola ad amicum, Hannoveræ A. 1710. edita, qua ea, quæ C. H. E. D. in relatione de Itinere ſuo Anglicano & Batavo Annis 1706. & 1707. facto, de Auguſta Bibliotheca Wolfenbuttelenſi & & Seren. Ducis Antonii Ulrici ſeceſſu in Salinarum Valle recenſet, examinantur &c. p. 5. ſqq.

68. denatus. Hujus operis quum aliquot extent editiones, Latinæ & Germanicæ, â ſe invicem diſcrepantes, juvabit in earum diſcrimen inquirere, & cauſas diſcrepantiæ inveſtigare. Ipſe Aventinus dum viveret Annales non edidit. Anno tamen 1522. Epitomen eorum publicavit, paucis jam olim cognitam, & oppido nunc raram. Geſnerus certe eam nondum viderat quum Bibliothecam ſuam, quod an. 1545. factum eſt, ederet, nullam enim ejus mentionem facit. Appendicem vero Bibliothecæ ſuæ quum evulgaret, quod an. 1555. factum, ejus notitiam aliqualem habuiſſe, neque tamen vidiſſe videtur, ita enim loquitur. *Joh. Aventini Chronicorum Liber - Germanice excuſus eſt Noribergæ.* Neque ullus eorum qui Annales & eorum translationem ediderat illius vel verbulo mentionem facit. Prodiit autem hoc titulo *Bayriſcher Chronicon: im Latein verfertigt: und in Syben Püecher getailt ein kurtzer Auſszug. §. Der Teutſchen und ſonderlich, deſs gar alten Hawſs zu Bayrn, Kayſer, Kunigen, Hertzogen, Furſten, Graven, Freyherren, Geſchlechtern, Herkommen, Stämme, Sypſchafft, Abſterben, mit Meldung auffs kurtzeſt, was treffenlichs die Teutſchen allenthalben, nit allein*

lein in Europa, ſonder auch in Aſia und Africa, auch vor Chriſti unnſers Haylmachers Geburt, gethan haben. §. Abſchrifft und Verteutſchung, etlicher alten Brieff (ſo noch gantz unverletzt in Bayrn verhanden ſyndt) damit gründlich und warhafftig geweiſt wirdet. Daſs Bayrn ein Königreich geweſen mit ſeynen Grentzen vill weyter dann yetzo geraicht, in mer Fürſtenthumb, aber nunmer nit eins nams Schilt und Helm (nachdem der Stieff-Son mit ſeinem Vater darum gekriegt) durch Kayſer Fridrichen den Erſten zu Regenſpurg auff etlichen Reichs-Tägen getailt iſt worden. Addita ſunt in titulo inſignia Domus Bavaricæ atque annus 1522. impreſſa eſt autem (ut in calce libri notatur) Noribergæ apud Fridericum Leypus an. 1522. in fol. min. Prægustum voluerat hoc ſcripto eruditis ſuppeditare Annalium ſuorum, mole quidem exiguum, ſed ê quo cognoſci poſſet, quid de integro opere ſperandum ſit. Salivam certe movit hic prodromus Eruditis ut ipſum opus videre geſtierint, colligi id poteſt ex Epiſtolis tam Matthæi Marſchalk & Conradi Adelmanni, quam Eraſmi altera ad Leon. ab Eckh, annalibus præfixis, quarum utraque Indicis ab Aventino editi meminit, quo nomine Epitomen hanc in-

 digi-

digitatam eſſe, ipſa edocent verba. Ut autem totius Epitomes conſpectum ſubminiſtremus, ipſa ejusdem raritas jubet. Pagina tituli averſa duæ Ducum Bavariæ Epiſtolæ, ad Prælatos Ducatus ſui an. 1517. directæ extant, (quæ Germanicæ quoque Annalium editioni præfixæ conſpiciuntur) in quibus abs Prælatis poſtulatur, ut Monaſteriorum Bibliothecas & Archiva Aventino recludant, eidemque monumenta ad opus Hiſtoricum neceſſaria & proficua communicent. Sequitur pag. ſq. Epiſtola Aventini ad Illuſtriſſimos Bavariæ Duces, in qua refert, quod Chronicon juſſu ipſorum conſcribi cœptum, ſeptemque Libris comprehenſum, latino idiomate abs ſe jam nunc abſolutum ſit, maximo quidem labore, nec ſine animi corporisque virium impendio. Hujus ſe Epitomen nunc vernacula publicare lingua, atque in eo eſſe, ut poſt aliquam reſpirationem, Chronicon hoc in Germanicam linguam transferat. Subjungitur deinde Privilegium Ducum Bavariæ, & deinceps Epitome ipſa, quæ cujusque Libri ſummaria breviter ſiſtit, fere uti in Annalibus â Zieglero & Ciſnero editis comparent. Interjectæ tamen ſunt Tabulæ Succeſſionem & Genealogiam Imperatorum,

Re-

Regum, Principum & Comitum exhibentes. Eas vero cujuslibet Libri Summariis adjunxit, quæ referunt Reges aut ſtemmata de quibus in quolibet Libro agitur. Siſtuntur deinceps literæ Friderici III. Saxoniæ Electoris ad Aventinum, quæ itidem in Germanica Aventiniani Chronici editione comparent. Denique aliquot Diplomata adduntur, ê quibus colligi poſſit, Bavariam antiquitus longe ſe latius quam quidem ſuo tempore extendiſſe. Tria ſunt Regis Ludovici Germanici, qui Regem ſe Bavariæ in illis nominavit, an. 831. 832. & 833. exarata, quibus Epiſcopo Ratisbonenſi & Eccleſiæ S. Haymerni loca quædam confirmantur, donantur & conceduntur. Duo Carolomanni, laudati modo Ludovici Filii, itidem Bojorum Regis, an. 876. & 877. ſcripta, in quibus templo Oettingenſi, *dem Münſter zu Oetting*, Abbatia, Capella & loca in Diplomatibus expreſſa donantur. Denique duo Imperatoris Friderici I. in quorum priori an. 1156. Marchionatum Auſtriæ in Ducatum evehit, eumque Patruo ſuo Henrico confert. In altero an. 1180. vicum Vehringen cum ponte Epiſcopo Friſingenſi vindicat & denuo adjudicat. Nullum horum Diplomatum

ipſis Annalibus inſertum eſt, provocat tamen ad Diploma Friderici I. Imp. prius L. 6. Annal. p. 505. edit. Ciſner. p. 606. edit. recentiſſ. atque ejusdem principium ac finem exhibet. Ubi tamen ſignum Imperatoris in utraque editione male exprimitur, uti ex hac Epitome conſpicuum, in qua figura ita exprimitur.
Hæc facies eſt Epitomes Aventinianæ; ê qua nonnulla obſervanda: ſcilicet in Summarias I. Annalium Libri refert, primo in eodem loco recenſitos eſſe Auctores ê quibus ea, quæ in hoc Libro congeſta ſunt hauſerit: Deinceps exhiberi præfationem ad Illuſtriſſimos Wilhelmum, Ludovicum & Erneſtum Bavariæ Duces: Quam ſequatur Nomenclatura Propriorum quorundam Germanorum Nominum &c. Patet inde Nomenclaturam ipſius Aventini opus eſſe. In qua quum diſerte referat, urbem Aberſperg, quæ ipſius patria fuit, ab Antonino Abuſinam vocari, in veteribus verò tabulis Aventſperg ſcribi, manifeſtum reddit, quod Aventini nomen ſibi adſciverit, non ex ignorantia quadam, loco nominis Abuſini, uti quidam putant, ſed quia Scriptionem veterum tabularum maluerit ſequi. Mappam inſuper Geographicam totam Ba-

variam

variam delineantem jam tum quoque exaratam habuit, utpote cujus in his ſummariis diſertam mentionem facit, quæ vero nullibi amplius comparet, atque periiſſe videtur. Poſt reſpirationem unius cum dimidio anni, ad translationem Germanicam ſe accinxit, cui in decimum usque annum incubuit, Dom. Lætare an. 1533. colophonem eidem imponens. Quantis vigiliis, ſudoribus, laboribus, moleſtiis hic labor ei conſtiterit, prolixe refert in ejusdem præfatione ad Illuſtriſſimos Wilhelmum & Ludovicum Bavariæ Duces directa. Nequaquam enim nuda tantum translatio eſt, ſed ita comparata ut novum plane opus vocari mereat. Multa etenim in Germanica translatione, cui titulum *Chronicon* dedit, reperiuntur, quæ in Latinis Annalibus fruſtra quæras. Imprimis primus Liber hujus Chronici tam late deductus eſt, ut Primus Annalium Liber vix molem compendii ejusdem æquet: omiſſa tamen ſunt in Germanica verſione, quæ in latina Editione habentur. Diſpeſcuit Germanicam in VIII. Libros, utrumque tamen opus, tam Latinum quam Germanicum, morte Alberti IV. Bavariæ Ducis an. 1508. defuncti claudit. Quum vero pau-

eos admodum, ut ê dictis conſtat, menſes ſupervixiſſet, in lucem publicam neque Latinum neque Germanicum opus edidit. Annos igitur bene multos delituit utrumque. Eraſmus equidem, poſtquam egregium opus ſupprimi cognoverat, *Leonardum ab Eckh* Conſiliarium Bavaricum adiit, (hic enim Patronus Aventini dum viveret, inſignis fuerat, cui etiam filium ſuum Oswaldum informandum commiſerat) eumque an. 1535. rogavit, ut copiam ſibi Annalium & Chronici faceret, per Hervagium imprimendi. Promiſerat quoque Eckius ſe miſſurum deſiderata, quum autem ſq. 1536. anno Eraſmus mortem obiret, omne hoc negotium exſpiravit: & per integros viginti annos opus, ſumma expectatione deſideratum, delituit, fortaſſe monachorum quorundam opera; monachi enim Ordinis Prædicatorii hoſtes ipſius fuerant infenſiſſimi, metuentes, ne illorum nequitia, & tragœdia Bernenſis, Chronico inſeratur, de quorum invidia, obtrectationibus & minis, in præfatione Germanici Chronici conqueritur. Tandem vero an. 1554. Hieronymus Zieglerus Annales Aventini Ingolſtadii in fol. maximo, in lucem, juſſu & conſenſu Illuſtriſſimi Alberti Ba-

Bavariæ Ducis, emiſit, ita tamen, ut, (ceu ipſemet fatetur) quæ duriora ipſi videbantur, omiſerit. Germanicum quoque Chronicon, poſt diuturniorem deliteſcentiam, in auram prodiit: poſtquam enim in manus *Simonis Schardii* Celeberrimi Juriſconſulti incidiſſet, illud cum luculenta præfatione an. 1566. Francofurti in fol. publicavit. Tabulas 30. Imperatorum, Regum, Principum & Comitum Succeſſiones & ſtemmata exhibentes, atque ab Aventino concinnatas ſubjungens. Videbatur nunc deſiderio eruditorum ſatisfactum duplici hac editione. Reperiit tamen *Nicolaus Ciſnerus* Juriſconſultus, Curiæ Palatinæ Projudex & Conſiliarius, adhuc, quo de publico & Aventino bene mereret. Nactus enim integrum Annalium Latinum & Germanicum exemplar propria Aventini Manu ſcriptum ê Bibliotheca Oſwaldi Eccii ab Eraſmo Neuſtettero magno emptum pretio, in animum induxit, utrumque ita denuo publicare, ut Aventinus ſuæ formæ reſtitueretur. Loca igitur à Ziegler omiſſa reſtituit, atque ſic integre publicavit Annales latinos. Baſileæ ad 1580. in fol. Schardius quidem nihil ſtudioſe omiſit, inſignis tamen lacuna in ipſius editione reperitur:

 Liber

Liber ſiquidem primus MSCti Chronici in tria volumina compactus fuit. Horum medium, 225. foliis, laxe tamen ſcriptis, conſtans, Schardius non vidit, quapropter Ciſnerus totum hoc volumen primo Libro inſeruit, in præfatione operis uberius iſta indicans: addidit quoque primo Libro Annotationes complures, ab ipſo tamen Chronici textu rite diſtinctas, quibus quæ de antiquis urbibus, regionibus, gentibus &c. Aventinus retulit, ex antiquis imprimis auctoribus illuſtrantur ac emendantur, in reliquis vero Libris nihil mutavit aut addidit, neque annotationes iis adjunxit, præterquam in octavo Libro. Eodem quo Latina, hæc Ciſneri Germanica editio prodierat anno, nempe 1580. Francofurti excuſa in fol. maj. & quidem uno menſe prius prelum fatigare deſiit quam Latina. Nitidiſſima profecto hæc editio eſt, & hoc ſolummodo dolendum, quod index ſatis jejune ſit adornatus. Adjunguntur huic Chronico pariter Tabulæ illæ triginta Hiſtoricæ & Genealogicæ, vitio autem typographi factum eſt, ut Tabula vigeſima, quæ Stemma Ottonis Wittelſpacenſis refert, poſt vigeſimam quintam, in Schardii æque ac Ciſneri editione, compareat, quam Ciſnerus

nerus inſigniter auxit & Illuſtriſſimæ hujus familiæ Genealogiam ad ſuam usque ætatem produxit. Ceterum notandum eſt, titulum harum tabellarum ita eſſe adornatum, ut inde colligeres, nunquam antea easdem luci fuiſſe expoſitas quam Schardius illas publicaret; & fieri omnio potuit, ut eſt MSCto Aventiniano illas ederet. Interim, jam antea ipſemet Aventinus easdem in ſupra laudata Epitome typis exſcribi curavit, plane enim eædem hæ tabulæ ſunt quas inibi reperias, inſuper tamen monendum, Aventini mentem non fuiſſe ut ſub finem junctim ederentur, ſingulis enim (ceu jam memoratum) Annalium, quorum ſummaria inibi refertur Libris eas Tabulas addidit, quæ ad quemque pertinent. Ad primum itaque refert tabulam primam, ſecundam & tertiam. Ad ſecundum Librum, quartam, quintam, ſextam & ſeptimam. Ad tertium, VIII[am.] & IX[am.] Ad quartum, X[am.] & XI[am.] Ad quintum, XII[am.] & XIII[am.] Ad ſextum XIV[am.] XV[am.] XVI[am.] XVII[am.] & XVIII[am.] Ad ſeptimnum reliquas duodecim. Defectus tamen hic ita fuit correctus, ut in plurimarum tabularum rubricis indicetur, ad quemnam Librum ſint referendæ. Conſtabit, ut opinor, nunc cuivis,

cuivis, quomodo & unde editiones Aventini differant. Reſtat ut de recentiſſima latina Annalium editione aliquid dicamus, quæ an. 1710. Lipſiæ in fol. prodiit in cujus titulo hi Annales dicuntur, *cum doctiſſimorum virorum quibuscunque editionibus collati, emendatius auctiusque excuſi, quibus acceſſerunt Aventini Abacus & Franc. Guillimanni Helvetia.* Quid vero in hac editione præſtitum ſit Excell. Gundlingius in præfatione, quam operi præfixit, his verbis indicat. *Non vereor certe adfirmare, aut decertare ſponſione, eſſe hanc editionem omnium longe emendatiſſimam ſimul & uberrimam. Nam cum Poëticæ apud Ingolſtadienſes Profeſſor, Hieronymus Zieglerus, ipſe olim inficias ire noluerit, fuiſſe nonnulla â ſe ſuppreſſa, expuncta, deleta, quæ invectivarum in Sacerdotes ſpeciem præbuiſſent, recte fecit, Bibliopola, quod Nicolai Ciſneri editionem una cum Germanica, quam ipſe Aventinus elaboravit, & in aliquibus auctiorem reddidit, ſimul adhiberi curavit, menda, quoad fieri potuit, corrigendo, libros in certa capita & ſectiones diſtinguendo, rerum conſpectum præmittendo, adjecta aſteriſcis notavit, quæque in margine ſine ordine vagabantur, affabre ſatis atque appoſite collocando. Quæ omnia, aut*

ſal-

ſaltem pluraque cum in anterioribus editionibus deficiant, de hujus ſane pretio unicuique, non ſuſpenſa etiam hedera, conſtabit. Nitida ſane hæc editio eſt, adhuc nitidior futura, ſi ad oram ſectionum lemmata margini fuiſſent addita, Summaria ſingulis Libris ab Aventino præfixa ideo haud dubie omittuntur, quia Libris in capita diviſis, conſpectus noviter concinnatus ſingulis capitibus præmittitur, cur vero Auctores quoque ſub initium cujuslibet Libri abs Aventino notatos, quos ſcil. in quolibet Libro præcipue erat ſecutus, itidem hæc editio omittat, me latet. Nomenclatura etiam Germanicorum Nominum, contra Aventini mentem, in hac editione ad calcem Operis rejecta eſt, quam eidem præmiſit Aventinus. Neque putandum eſt, ac ſi ea quibus Germanicam editionem ipſe Aventinus auxit, huic editioni inſerta eſſent, adhibitum exemplar Germanicum ſolummodo, non ex eo aliquid translatum in hanc eſt. Adjecta concernunt ea quæ in Ciſnerana editione ad marginem comparent, quæ in hac editione infra textum, cum aſteriſci nota quo referenda ſint, extant. Vitam Aventini ab Hier. Zieglero concinnatam, tam hujus quam Ciſneri editio

tio refert. In nova autem Lipſienſi quidam Vir Doctus, qui nomen ſuum literis G. H. A. indicavit, Vitam Aventini inſeruit, ſub cujus finem Scripta ejusdem recenſet initium faciens ab Annalibus, referens, Zieglerianam editionem Baſileæ 1615. fuiſſe repetitam. A. Nic. Ciſnero quidem fuiſſe auctam, conſtare tamen in hac multa ad domum Bavaricam pertinentia deſiderari. Unde hoc Auctori conſtet me latere fateor, nec non, anZiegleriana iſthæc deſiderata exhibeat, numve abs Ciſnero omiſſa in hac Lipſienſi editione ſint reſtituta, quod factum non arbitror, male etenim de eadem meruiſſet ſi hocce reticuiſſet, quum in præfatione diſerte dicatur, Ciſnerianam editionem Lipſienſem hancce referre, neglecta Ziegleriana. Prodiiſſe Annalium opus etiam Francofurti an. 1627. in fol. Idem Biographus refert, non tamen indicat, an illa editio Ziegleri num vero Ciſneri editionem referat. Aliquos Annalium Libros & integram Germanicam eorum verſionem, ſive Chronicon, propria Aventini manu ſcriptum in illuſtri Guelferbytana Bibliotheca hodienum aſſervari, ex Tenzelio annotavit Idem. Notandum inſuper, quod in Catalogo ſcripto-

rum

rum Aventini nondum editorum, e Geſneri Bibliotheca deſcripto, omiſerit eum, quem poſt *Hymnum de cœleſti Sphæra*, recenſet tractatum, hoc titulo: *Imagines cœli, admodum breviter & eleganter deſcriptæ, quo natura duce, facillime à quolibet etiam maxime rudi agnoſci queant.* Appendicem Bibliothecæ Geſnerianæ ſupra laudatam fortaſſe ad manus non habuit Biographus, alias ſine dubio Epitomes ſub initium recenſitæ eam mentionem feciſſet, quæ inibi extat, cujus æque ut alii Annalium editores notitiam nullam habuit. *Germaniæ* vero *Illuſtratæ* ab Aventino X. Libris comprehenſæ ſciagraphiam ſuppeditat, & quidem eam quam ipſe Aventinus in Abaco ſuo dedit, paululum diverſam ab ea, quam Geſnerus in ſua Bibliotheca exhibet, â Gilberto Cognato ſibi transmiſſam. Non reticet, eſſe, qui unum idemque opus Germaniam illam illuſtratam & Annales Bojorum exiſtiment, ſeque idem ſentire, atque exiſtimare, Annales Bojorum ex Germania illuſtrata (quæ periit, nec usquam gentium inveniri poteſt,) deſumtos eſſe, iis reciſis, quæ parum ad rem videbantur. Et ita quoque jam Ciſnerus ſenſit, qui in Præfatione Annalium ad Lectorem ſub finem ita loqui-

loquitur. *Argumenta Librorum Annalium ſuorum, Aventinus, multo ante editionem eorum, cum decem Libros conſtituiſſet, quos poſtea in ſeptem contraxit, pluribus expoſuerat.* Subjicit deinde Sciagraphiam, quæ nulla alia eſt quam Germaniæ illuſtratæ a Geſnero publicata, atque eam ad Libros Annalium redigit, oſtendens, ubi ea quæ in iſta Sciagraphia referuntur, vel in Latina vel in Germanica Annalium editione compareant, & quæ plane non inibi reperiantur. Ceterum quum Aventinus anno 1532. quo Abacum edidit, hanc Sciagraphiam Operis Germaniæ Illuſtratæ ediderit, quo tempore Annales Latinos jamjam ad finem perduxerat, imo jam ſextum Chronici Germanici Librum, ut ê præfatione hujus Libri evidens, vix equidem â me impetrare poſſum ut horum ſententiæ accedam. Et certe, in ipſo Germanico Chronico L. 3. f. 277. b. & p. 278. edit. Giſneri alibique ad Germaniam illam provocat, in qua prolixius ea deduxerit quæ inibi narrat. An. 1555. fama erat excudi Germaniam Aventini Auguſtæ, quam Geſnerus Appendici Bibliothecæ inſeruit, aſt vanus rumor fuit, nunquam enim vel Auguſtæ vel alibi excuſa eſt.

IV.

IV.

PETRI LAMBECII Hamburgenſis Commentariorum de Auguſtiſſima Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi

LIBER NONUS

Quo continetur

Catalogus Manuſcriptorum Codicum Græcorum profanorum, ſecundum praeſentem collocationis eorum ſeriem & novum ordinem numerorum, quibus iidem nunc notati ſunt.

Ex Operis hujus praeſtantiſſimi exemplo in Bibliotheca Vffenbachiana Francofurti ad Moenum exiſtente deſcriptum hujus libri IX. initium: (*)

(*) Λειψανα hæc Operis Lambeciani quantivis pretii debeo benevolentiæ Illuſtris Zachariæ Conradi ab Uffenbach, Senatoris Reip. Francofurtanæ Graviſſimi, Mæcenatisque literarum incomparabilis, Viri meum præconium dudum longiſſime ſupergreſſi, qui pro inſigni, qua pollet, aliorum conatus juvandi promtitudine aliorum quoque rariorum ex inſtructiſſima *Bibliotheca* ſpem mihi fecit lætiſſimam.

I.

PRimus (1.) Codex manuſcriptus Hiſtoricus Græcus profanus eſt chartaceus antiqvus & bonae notae in qvarto, conſtatqve foliis qvadringentis ſeptuaginta qvatuor, & Joannem Sambucum, ut ipſe ſolita inſcriptione ſua teſtatur, olim pertinuit. Continentur eo HERODOTI (2.) Halicarnaſſenſis, qvi, ut omnium Hiſtoricorum Graecorum Profanorum nunc exſtantium antiqviſſimus, â Cicerone in libro primo de Legibus Pater Hiſtoriae appellatur, & ſeculo ante Chriſtum qvinto ſub tribus Perſarum Regibus Dario, Hyſtaſpide, Xerxe ſive Ahasvero & Artaxerxe Longimano floruit, Hiſtoriarum libri novem, totidem Muſarum nominibus inſcripti: nempe Clio ſive Liber primus; Euterpe ſive Liber ſecundus; Thalia ſive Liber tertius; Melpomene, ſive Liber qvartus; Terpſichore ſive Liber quintus; Erato ſive Liber ſextus; Polymnia ſive Liber ſeptimus; Vrania ſive Liber octavus; & Calliope ſive Liber nonus. Qvorum novem

(1.) Fuit is olim inter Codices manuſcriptos Hiſtoricos Graecos trigeſimus.

(2.) Halicarnaſſus Vrbs eſt Doridis in Aſia Minori ſive proprie dicta ad Mare Aegaeum. Vtitur tamen Herodotus in ſcribendo praecipue Dialecto Jonica.

vem librorum primus incipit, ut in editionibus impreſſis, hoc modo: Ἡροδότȣ Ἁλικαρνασσῆος ἱϛορίης ἀπόδειξις, ἥδε p. (2.) ὡς μήτε τὰ γενόμενα ἐξ ἀνθρώπων τῷ Χρόνῳ ἐξίτηλα γένηται &c. nonus autem ſive ultimus deſinit in his verbis: ἢ πεδίαδα σπείροντες, ἄλλοισι δȣλεύειν. Comprehendit vero totum illud Opus Hiſtoricum Narrationem annorum ducentorum triginta qvinqve, ab initio videlicet Gygis, Lydorum Regis, qvi ſecundum R. P. Dyoniſii Petavii S. J. Supputationem coepit regnare anno ante Chriſtum 714. usque ad annum ante eandem Aeram Chriſtianam 479. qvo contigerunt uno eodem die celebres duae Graecorum cum Perſis pugnae, terreſtris ſcilicet ad Plataeas in Boeotia, & navalis ſub monte Mycale in Aſiâ. Caetera multò plura, huc pertinentia, de Vita, Scriptis, Stylo & Fide Herodoti vide in optima Operum ipſius editione Graeco-Latinâ Gothofredi Jungermanni, Francofurti ad Moenum apud Claudium Marnium & haeredes Joannis Aubrii An. 1608. in folio cum ampliſſimis variorum veterum & recentiorum Auctorum Prolegomenis, Teſtimoniis & Additionibus. Conſule etiam Davidis Chytraei Chronologiam Hiſtoriæ Herodoti & Thu-

cydidis, Helmaeſtadii typis Jacobi Lucii An. 1593. in quarto editam; & Gerardi Joannis Voſſii doctiſſimum opus de Hiſtoricis Graecis Lib. I. cap. 3.

II.

Secundus (1.) Codex manuſcriptus Hiſtoricus Græcus Profanus eſt chartaceus antiqvus & bonae notae in folio, conſtatqve foliis centum viginti tribus & ad Joannem Sambucum, qui folii primi pagina prima, ſe illum Hydrunti â quodam Coſma Liparenſi emiſſe, ſolita inſcriptione teſtatur, olim pertinuit. Continentur eo THVCYDIDIS Athenienſis, Herodoto, cujus aemulator fuit, ſynchroni, Hiſtoriae (2.) Belli Peloponneſiorum cum Athenienſibus anni viginti priores Libris octo; anonymi cujusdam antiqui Scholiaſtae Graeci Annotationibus marginalibus illuſtrati; quorum primus

(1.) Fuit is olim inter Codices Manuſcriptos Hiſtoricos Graecos nonus.

(2.) Celeberrimum hoc bellum Peloponneſiacum annos 27. & menſes 6. durans, cujus cauſa fuit nimia Athenienſium potentia Lacedaemoniis ſuſpecta, occaſio autem, qvod Pericles, qui ſepties mille talentorum rationem reddere metuens, in Republica Athenienſi omnia permiſceret, coepit anno ante Aeram Chriſtianam vulgarem 431; deſiit autem anno ante eandem Aeram 404. qvo Athenae â Lyſandro Lacedaemonio poſt ſex Menſium obſidionem expugnatae & captae ſunt, ineunte anno ejusdem Belli vigeſimo octavo.

mus incipit hoc modo: Θουκυδίδης Ἀθηναῖος ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων &c. deſinit autem Liber ſextus his verbis: ἀποίκους ὕστερον πεντακοσίους πέμψαντες. Hinc ſequitur Liber ſeptimus: τοῦ δὲ αὐτοῦ χειμῶνος &c. pertingit autem is tantum usq; ad haec verba: (3) τῆς δὲ πόλεως βουλευσαμένης ἰατρὸς ἂν γένεθαι, καὶ τὸ - - - Plura de Thucydidis Vita, Scriptis, Stylo & Fide vide in optima Operum ipſius editione Graeco-Latina Aemilii Porti, Francofurti ad Moenum apud hæredes Andreæ Wecheli A. 1594. in folio. Conſule etiam ſupra laudatos Chytraeum & Voſſium locis ibidem citatis. Nec illud ſilentio praetereundum eſt, in primo ejusdem Codicis folio, nullo numero notato, quod ipſam Thucydidis Hiſtoriam proxime praecedit, exſtare teſtimonium Suidae Lexicographi de jam memorato Thucydide, cujus titulus & principium: Ἐκ τῶν τοῦ (1.) Σούδα. Θουκυδίδης ὁ συγγραφεὺς Ὀλόρου Ἀνθηναῖος· παῖδα δὲ εἶχε Τιμόθεον· ἦν δὲ ἀπὸ μὲν ΠΑΤΡῸΣ, Μιλτιάδου τοῦ στρατηγοῦ τὸ γένος ἕλκων· ἀπὸ δὲ ΜΗΤΡῸΣ Ὀλόρου τοῦ Θρακῶν βασιλέως· &c. Vbi obiter no-

(3.) Editionis Aemilii Porti Graeco Latinæ p. 421. p. (3.)

(1.) Ita ibi ſcriptum eſt, nempe Σούδα pro Σουίδα.

no-

notanda eſt obſervatu digna lectio varians: nempe Thucydidem genus PATERNVM duxiſſe â Miltiade, MATERNVM autem ab Oloro Thraciae Rege. In editione enim Lexici Svidae Graeco-Latinâ, ab Aemilio Porto A. 1619. Coloniae Allobrogum ſive Genevae apud Petrum & Jacobum Chouet duobus Tomis in folio adornatâ, prorſus contrario ſenſu legitur: Ἦν δὲ ἀπὸ μὲν ΜΗΤΡΟ͂Σ, Μιλτιάδου τοῦ στρατηγοῦ τὸ γένος ἕλκων· ἀπὸ δὲ Πατρὸς, Ὀλόρου τοῦ Θρακῶν βασιλέως. hoc eſt, jam memorato Aemilio Porto interprete. MATERNVM autem genus â Miltiade Duce, PATERNVM vero ab Oloro Thracum Rege ducebat. Vide etiam Marcellini Hiſtorici Graeci, Diſſertationem de Thucydidis Vita & genere dicendi, quæ ſupra laudatæ Operum ipſius editioni graece & latine praefixa eſt. Notabile porro etiam eſt, Codicem manuſcriptum Hiſtoriae Thucydidis, de qvo in praeſens agitur, olim pertinuiſſe ad Marcum Muſurum Cretenſem, Philologum & Poetam ingenioſiſſimum, qvi poemate ſuo Graeco de laudibus Platonis â ſummo Pontifice Leone X. Archiepiſcopatum Epidaurenſem promeruit.

ruit. Hujus enim propriâ manu in ſupra memorati folii primi nullo numero notati, pagina prima ſcriptum cernitur: Μουσούρου κτῆμα. Plura de eodem Muſuro, ejusque effigiem, vide in Appendice Libri ſexti horum Commentariorum pag. 278. & 279. Poſtea autem comparavit ſibi eundem Codicem Joannes Sambucus, & qvidem, ut ipſe ibidem propria manu indicat, (2.) Hydrunti â qvodam Coſmâ (3.) Liparenſi.

(2.) Hydruntum Vrbs Regni Neapolitani, vulgo nunc Otranto.

(3.) Lipara eſt una ex Septem Inſulis Aeoliis, Siciliae ex adverſo Promontorii Tyndatii adjacentibus.

III.

Tertius (4.) Codex manuſcriptus Hiſtoricus Graecus Profanus eſt membranaceus antiqvus & perelegans in folio, variis (5.) imaginibus aliisque ornamentis inauratis paſſim decoratus, conſtatque foliis nonaginta qvinqve & initio qvidem ad Illuſtriſſimum Dominum Andream Matthaeum Aqvavivam, ducem Adriae, cujus (1.) p. (4.)

(4.) Fuit is olim inter Codices Manuſcriptos Hiſtoricos Græcos duodecimus.

(5.) Spectatu digna, ibi inprimis eſt Imago Xenophontis cum Galeâ aureâ & Thorace aureo in pulcherrimo, æqvo albo: item Imago Cyri ſedentis in ſolio Regio & diverſis variarum nationum perſonis cincti, ut & imago Pegaſi alati, cum monte Helicone & fonte Hippocrene.

(1.) Inſignia gentilitia in principio exſtant, poſtea autem ad Joannem Sambucum, ut ipſe ſolitâ propriae manus inſcriptione teſtatur, olim pertinuit. Continentur eo XENOPHONTIS Athenienſis, Hiſtorici, Philoſophi & Ducis celeberrimi, Socratis diſcipuli, qui ſeculi ante Chriſtum qvarto floruit, Libri octo *κύρȣ παιδείας*, ſive de Cyri (2.) Majoris inſtitutione, velut Cicero in Bruto vertit, de Cyri Vita & Diſciplina. Eorum primus inſcribitur atque incipit hoc modo: *Ξενοφῶντος Κύρȣ παιδείας βιβλίον πρῶτον· Ἔννοιά ποθ᾽ ἡμῖν ἐγένετο* &c. octavus autem ſive ultimus deſinit his verbis: *εὑρήσει αὐτὰ μαρτυρȣ̃ντα τοῖς ἐμοῖς λόγοις.* Caeterum qvod ex hoc Opere non ſit petenda Hiſtoriae veritas, ſed nihil in eo ſit veri praeter nuda nomina & mentionem duorum triumve eventuum, ut Ba-

(1.) Vide Libri ſeptimi horum Commentariorum pag. 73. 74. 102. 103. & 104.

(2.) Intelligitur videlicet Cyrus ille, Aſtyagis ultimi Medorum Regis ex filia Mandane nepos, qvi victo Pario Medo, captaque Babylone fundavit Secundam ſive Perſicam Monarchiam, anno ante Aeram Chriſtianam, ſecundum R. P. Dionyſii Petavii accuratiſſimam ſupputationem, qvingenteſimo, trigeſimo octavo. Quod diligenter notandum eſt propter Raphaelem Volaterrarium, qui Anthropologiae Lib. XX. inſtitutionem Cyri Majoris â Xenophonte deſcriptam, perpetàm attribuit Cyro Minori, ſub quo in Expeditione contra fratrem Artaxerxem Mnemonem idem Xenophon ipſe militavit.

abylonis captae, & Croeſi victi recte animadvertit, ac monuit jam antiquitus ipſe Cicero in Epiſtola prima ad Quintum fratrem, ubi ſic ſcribit: Cyrus ille à XENOPHONTE non ad Hiſtoriae fidem ſcriptus, ſed ad effigiem juſti Imperii: Cujus ſumma gravitas ab illo Philoſopho cum ſingulari comitate conjungitur. Qvos qvidem Libros non ſine cauſa noſter ille Africanus de manibus ponere non ſolebat: nullum eſt enim praetermiſſum in iis officium diligentis & moderati Imperii. Haec Cicero. Reliqua autem huc pertinentia de Aetate, Vita, Scriptis, Eloqventia & Fide Xenophontis, vide in optima operum ipſius editione Graeco-Latina Joannis Leunclavii, Aemilii Porti & Friderici Sylburgii, Francofurti ad Moenum apud Andreae Vecheli haeredes Claudium Marnium & Joannem Aubrium A. 1596. in folio. Conſule qvoqve ejusdem Vitam, qvae exſtat apud Diogenem-Laërtium Libri ſecundi Hiſtoriae Philoſophorum Illuſtrium capite ſexto; & ſupra laudatum Gerardi Joannis Voſſii Opus de Hiſtoricis Gracis lib. 1. c. 5. Qvod porro reſtat, notabile eſt, in fine hujus Codicis, de quo in præſens agitur, expreſſe addi, eum ſcriptum fuiſſe

manu Angeli Conſtantini ex Agro Hydruntino in Regno Neapolitano. Ipſa jam memoratae ſubſcriptionis verba Graeca ſunt haec: Ἐγράφη τὸ παρὸν Βιβλίον τȢ Ξενοφῶντος ΚύρȢ παιδείας δια Χειρὸς ἈγγέλȢ ΚωνςαντίνȢ ἀπὸ Χώρας Ὑδρȣ́σης, ἐκ Χώρας ςερναδίκτας τῆς γ' ἰνδίκτȢ.

IV:

pag. (5.)

(1.) Fuit is olim inter Codices Manuſcriptos Hiſtoricos Graecos trigeſimus qvartus.

Qvartus (1.) Codex manuſcriptus Hiſtoricus Graecus Profanus eſt chartaceus antiqvus & bonae notae in qvarto, conſtatqve foliis trecentis, viginti octo & ab Augerio Busbeckio, ut ipſe ſolitâ propriae manus inſcriptione teſtatur, olim fuit comparatus Conſtantinopoli. Continentur eo haec:

Primo & quidem â fol. 1. p. 1. usque ad fol. 140. p. 2. ejusdem ſupra memorati Xenophontis Hiſtoriarum libri ſeptem de Cyri Junioris, Filii Regis Perſarum Darii, cognomine Nothi, Adſcenſu ſive Expeditione in Aſiam Superiorem contra fratrem natu majorem Regem Artaxerxen Mnemonem; anonymi cujusdam antiqvi Scholiaſtae Graeci Annotationibus marginali-

bus

bus illuſtrati: quorum primus inſcribitur atque incipit hoc modo: Ξενοφῶντος Ῥήτορος Κύρου ἀναβάσεως Βιβλίον πρῶτον. Δαρείου καὶ Παρυσάτιδος γίνονται παῖδες δύο· Πρεσβύτερος μὲν Ἀταξέρξης, νεώτερος δὲ Κῦρος· ἐπεὶ δὲ &c. Septimus autem ſive ultimus definit his verbis: Χρόνου πλῆθος τῆς ἀναβάσεως καὶ καταβάσεως, ἐνι αὐτὸς καὶ τρεῖς μῆνες. Interfuit huic expeditioni ipſe Xenophon & Cyri Junioris partes ſecutus eſt, cum contra Artaxerxi Mnemoni faverent Athenienſes; idque illi poſtmodum cauſa fuit exſilii. Incidit iſta Cyri Expeditio ejusdemque interitus in proelio, in annum ante Chriſtum qvadringenteſimum primum.

Secundo & qvidem â folio 141. pag. 1. uſqve ad fol. 154. pag. 1. ejusdem Xenophontis Ἱππαρ Χικὸς, ſive Liber de Magiſterio Eqvitum; cujus principium: πρῶτον μὲν θύοντα Χρὴ αἰτεῖσθαι θεοῦ; &c.

Tertio & qvidem â fol. 154. pag. 1. usqve ad fol. 169. pag. 2. ejusdem Xenophontis Liber περὶ ἱππικῆς, ſive de Re eqveſtri; cujus principium: Ἐπει δὴ, διὰ τὸ συμβῆναι ἡμῖν

(2.) Huc petinet elegantiſſima illa Xenophontis ſtatua eqveſtris, qvâ proxime praecedentis Codicis tertii Titulus inſignitus eſt.

ἡμῖν πολὺν χρόνον (2.) ἱππεύειν, οἰόμεθα ἔμπειροι ἱππικῆς γεγενῆσθαι &c. finis autem: ἃ δὲ Ἱππάρχῳ προσῆκεν εἰδέναι τὲ καὶ πράσσειν, ἐν ἑτέρῳ λόγῳ δέδηλωται. Hoc eſt: Qvae vero tum ſcire tum exſeqvi conveniat Eqvitum Magiſtrum, alio libro declaravimus. Hinc igitur apparet, in hoc Codice manuſcripto Caeſareo Librum de Re Eqveſtri Libro de Magiſterio Eqvitum recte poſtponi contra autem in ſupra memorata editione Graeco-Latina Francofurtenſi eidem perperam praeponi, ipſo Xenophonte expreſſe reclamante.

Qvarto; & qvidem â fol. 169. pag. 2. usque ad fol. 182. pag. 1. ejusdem Xenophontis Liber de Republica Lacedaemoniorum; cujus titulus & principium: p. (6.) Τȣ̃ αὐτȣ̃ Λακεδαιμονίων πολιτεία. Ἀλλ' ἐγὼ ἐννοήθας ποτὲ, ὡς ἡ Σπάρτη τȣ̃ ὀλιγανθρωποτάτȣ ȣ̃σα &c. Elegantem hunc librum ſcripſit Xenophon, ut gratiam rependeret Lacedaemoniis, qvi ipſi ab Athenienſibus in exſilium pulſo incolendam dedere partem agri Elei in Triphyliaco ſolo. Eſt enim Triphylia tractus Elidis in Peloponneſo.

Quin-

Quinto & qvidem â folio 182. pag. 1. uſqve ad fol. 303. pag. 1. ejusdem Xenophontis Ἀπομνημονευμάτων, ſive Memorabilium Socratis Dictorum & Factorum Libri qvinqve; qvorum primus incipit hoc modo: πολλάκις ἐθαύμασα &c. quintus autem ſive ultimus, qui ſpeciatim inſcribitur: Οἰκονομικὸς, ſive de adminiſtratione domeſtica, hoc eſt, ut Cicero in fine Libri ſecundi de Officiis & in Catone Majore ſive Libro de Senectute recte interpretatur, de Re familiari qvaerenda, conſervanda & augenda, hoc habet principium: Ἤκουσα δὲ ποτὲ τοῦ Σωκράτους καὶ περὶ οἰκονομίας τοιάδε διαλεγομένου ἐπὲ μοι, ἔφη, ὦ Κριτόβουλε &c. finem autem: φοβώμενος, μὴ δὶς ἀποθάνῃ.

Sexto & qvidem ê fol. 303. p. 1. usqve ad fol. 323. pag. 1. ejusdem Xenophontis Sympoſion, ſive Convivium, qvod incipit hoc modo: Ἀλλ᾽ ἐμοὶ δοκεῖ τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν ἔργα, οὐ μόνον τὰ μετασπουδῆς πραττόμενα, ἀξιομνημόνευτα εἶναι, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν ταῖς παιδιαῖς δὶς de &c.

Septimo, & quidem â fol. 323. pag. 2. usque ad fol. 325. p. 1. ejusdem Xenophontis Κυνηγετικὸς, ſive de Venatione; cujus principium: τὸ μὲν εὕρημα Θεῶν Ἀπόλλωνος δὲ Ἀρτέμιδος ἄγραι καὶ κύνες &c.

Octa-

Octavò, & qvidem â fol. 326. p. 1. usqve ad fol. 327. pag. 1. Georgii Gemiſti Plethonis Epiſtola qvaedam ; cujus titulus & principium : Τοῦ σοφωτάτου διδασκάλου κυροῦ Γεωργίου τοῦ Γεμιστοῦ. Ούκ ἦν παραπλήσια, ὦ θειότατε τὰ τῶν πολεμίων τέλη &c. Videtur autem haec epiſtola ſcripta ad Imp. Manuelem Palaeologum; ad qvem etiam exſtat ejusdem generis alia : qvam vide Libri Septimi horum Commentariorum pag. 163.

Nonò, & qvidem folio 327. pag. 1. Anonymi cujusdam Autoris Obſervatio de Phlebotorniae ſive Venae ſectionis ſalutaribus diebus ; cujus inſcriptio : Τέμνει ἀγαθὸν ἡμέραις τάντας φλέβα.

Decimo & qvidem folio 328. p. 1. Anonymi cujusdam obſervationes de Exercitiis Rhetoricis; quarum Titulus & principium: Γυμνάσματα τῆς Ῥητορικῆς. Ἡ Ῥητορικὴ διαιρεῖται εἰς εἴδη τρία· εἰς τὸ σύμβουλευτικὸν &c.

p. (7.)

(1.) Fuit is olim inter Codices manuſcriptos Hiſtoricos Graecos undecimus.

Qvintus (1.) Codex manuſcriptus Hiſtoricus Græcus Profanus & chartaceus antiqvus in folio, conſtatque foliis centum ſexaginta qvinqve, & ad Joannem Sambucum, ut ipſe ſolita propriae manus

manus inſcriptione teſtatur, olim pertinuit. Continentur eo ex Polybii, Arcadis Megalopolitani, qvi ſeculo ante Chriſtum ſecundo P. Cornelio Scipioni Aemiliano Africano Minori, â qvo captâ atqve everſâ Carthagine in Africâ, Bellum Punicum tertium anno ante Aeram Chriſtianam centeſimo qvadrageſimo ſexto abſolutum eſt, ſynchronus, & adeo familiaris fuit, ut is pleraque pro conſilio ejus ageret, Libris Hiſtoriarum deperditis, ſeu potius ab Imp. (2.) Conſtantino Porphyrogenito damnoſa abbreviatione mutilatis, Excerpta â Liro ſeptimo, usqve ad Librum decimum nonum. Quae qvidem Libri ſeptimi Excerpta inſcribuntur & incipiunt ibi hoc modo: Πολυβίου ἐκ τῶν Ἱστοριῶν, τοῦ ἑβδόμου λόγου κατ' ἐπιτομὴν: Ἡ γὰρ τῶν Λεοντίνων πόλις &c. Libri autem decimi ſeptimi Excerpta deſinunt, ut in impreſſis (3.) editionibus Iſaaci Caſauboni & Jacobi Gronovii his verbis: οὐκ ὀκνήσομεν διασαφεῖν τὰ παρακολουθήσαντα ταῖς ἐξουσίαις αὐτῶν ἀπρεπῆ. Hinc porro ibidem ſeqvuntur, quae in jam memoratis Editionibus deſunt, Excerpta Libri Decimi octa-

(2.) Cœpit is imperare anno Chriſti 912. & A. 959. obiit.

(3.) Francofurti ad Moenum typis Wechelianis An. 1609. Graece & Latine in folio & Amſtelodami typis Janſſonianis A. 1670. Graece & Latine duobus Tomis in octavo.

octavi ſub hoc titulo & principio: *Πολυβίȣ ἐκ τȣ̀ ιὴ λόγȣ. Ἐγὼ δὲ κατὰ τὴν ἔκτην βίβλον ἐν ἐπαγγελίᾳ καταλιπὼν, ὅτι λαβὼν τὸν ἁρμόττοντα καιρὸν σύγκρισιν ποιήσωμαι τȣ̃ καθοπλισμȣ̃ Ῥωμαίων καὶ Μακεδόνων, ὁμοίως δὲ καὶ* &c. Item Excerpta Libri decimi noni hoc modo: *Πολυβίȣ ἐκ τȣ̃ ιθ' λόγȣ περὶ τῆς Σκιπίωνος τȣ̃ Ἀφρικανȣ̃ ἡγεμονικῆς ἐμπειρίας. Κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τȣ̃τον νεανίσκοι τινὲς τῶν Ῥωμαίων ἐπιτύχοντες παρθένῳ κατὰ τὴν ἀκμὴν, καὶ κατὰ τὸ κάλλος διαφερȣ́σῃ τῶν ἄλλων γυναικῶν* &c. Iisdemqve Excerptis ſtatim ſubjungitur aliud Excerptum *περὶ Μηδίας* ſive de Mediâ; cujus principium: *Ἔςι τοίνυν ἡ Μηδία κατὰ τὲ τὸ μέγεθος τῆς χώρας ἀξιοχρέως,* &c. finis autem: *ἐις τὸ βασιλικὸν ἠθροίσθη νόμισμα μικρῷ λεῖπον τετράκις χιλίων ταλάντων.*

VI.

Sextus (4.) Codex manuſcriptus Hiſtoricus Graecus Profanus eſt chartaceus antiqvus in folio, conſtatqve foliis centum qvinqvaginta qvatuor, & ad V. CL. (5.) Sebaſtianum Eri-

(4.) Fuit is olim extra numerum.

(5.) Plura de eodem Clariſſimo Viro huc pertinentia, vide Libri Qvinti horum Commentariorum paginâ 295. & in Appendice ejusdem Libri pag. 413. 414. ac deinceps.

Ericium ſeu Erizzum olim pertinuit. Continentur eo eadem Excerpta ex Polybii Megalopolitani libris deperditis â Libro ſeptimo uſque ad Librum decimum nonum, qvorum in proxime praecedentis Codicis qvinti recenſione jam eſt facta mentio. Veriſimilimum qvoqve videtur, duos hoſce Codices, qvintum videlicet ac ſextum, ex uno eodem vetuſtiſſimo Exemplari fuiſſe deſcriptos, ideoque tam exacte concordare. Caeterum correctio numerorum, quae in poſteriori hoc Codice in Lemmatibus ſive Titulis Excerptorum â Libro duodecimo usque ad Librum decimum nonum cernitur, â recentiori, ut manifeſte apparet, manu eſt, & prolixiori indiget conſideratione, qvam ut ego illi in praeſens ſufficienter poſſim immorari. p. (8.)

VII.

Septimus (1.) Codex manuſcriptus Hiſtoricus Graecus Profanus & chartaceus in fol. conſtatque foliis octoginta tribus. Continentur eo DIODORI Siculi, qvi ſub Imp. C. Julio Caeſare & Auguſto vixit Biblioth. Hiſtoricae Liber primus & qvintus. Qvo-

(1.) Fuit is olim inter Codices MStos Hiſtoricos Graecos octavus.

Qvorum primus inſcribitur atqve incipit hoc modo: Διοδώρου τοῦ Σικελιώτου βιβλιοθήκης ἱστοριῶν βίβλος α΄, Τοῖς τὰς κοινὰς ἱστορίας πραγματευσαμένοις μεγάλας χάριτας ἀπονέμειν δίκαιον πάντας (2.) ἀνθρώπων, ὅτι &c. eſt autem ibi in fine mutilus & pertingit tantum incluſive usque ad hæc verba (3.) διὸ καὶ τοὺς ἀρχαίους βασιλεῖς ἱστοροῦσι κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἔργα μεγάλα καὶ θαυμαστὰ διὰ τῆς - - - Qvinti vero libri titulus cum principio eſt talis: Διοδώρου Σικελιώτου ἱστοριῶν βίβλος ε΄. πάντων μὲν τῶν ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς χρησίμων προσνοητέον τὴν ἱστορίαν συνταττομένους μάλιστα δὲ &c. caret etiam hic Liber exigua finis parte & pertingit tantum incluſive usque ad haec verba (4.) οὐκ ὀλίγην δὲ καὶ τῆς Ἀσίας τῆς παραθαλαττίου κατέσχεν - - - Cætera, qvae de Aetate, Vita & Scriptis Diodori Siculi huc pertinent, vide in optima Operum ipſius editione Graeco-Latina Laurentii Rhodomanni, Hanoviae typis Wechelianis A. 1604. in folio; & apud Magnum Voſſium in Opere incomparabili de Hiſtoricis Graecis Lib. 2. c. 2. Operae pretium de

(2.) Ita in hoc Codice ſcriptum eſt, at vulgo legitur ἀνθρώπους.

(3.) Vide editionem Graeco-Latinam Francofurtenſem Wechelianam Laurentii Rhodomanni A. 1604. in fol. pag. 27. verſu ultimo.

(4.) Vide jam citatam editionem Rhodomannianam pag. 349.

de reliqvo fuerit, Exemplar hoc Bibliothecae Hiſtoricae Diodori Siculi Caeſareum Vindobonenſe qvamvis non valde antiqvum, â docti tamen & accurata manu profectum, cum jam memorata editione Rhodomanniana diligenter conferri, propter non paucas obſervatu dignas lectiones varias, qvae ſe mihi obiter ac curſim pervolventi jam obtulerunt. Vt exempli gratia, pagina nona ſupra memoratae editionis, ubi vulgo legitur : ἀδύνατον γὰρ τὴν ἕυρεσιν. . . . . Plura typis exſcripta proh dolor ! non ſunt.

V.

ANTIQVORVM
QVAE
AVGVSTAE VINDELICORVM
EXTANT
MONVMENTORVM
A
SVMMO VIRO
MARCO VELSERO
DVVMVIRO AVGVSTANO
AD CALCEM
RERVM AVGVSTA VINDELICARVM
EDITORVM
SVPPLEMENTVM
AB IPSO AVCTORE
COLLECTVM
AC
JAM PRIMVM
EX CODICE VELSERIANO
EDITVM
M. JACOBO BRVCKERO,
REV. MINIST. KAVFBVR.
ADJVNCTO.

PRAE-

Digitized by Google

PRAEFATIO.

QUæ conſpectui Tuo ſiſtuntur B. L. folia commendatione nulla egere puto, poſtquam ſummi Viri, MARCI VELSERI, Duum-Viri Auguſtani nomen illis præfixum eſt. Nemini enim, niſi plane rudis ſit in hiſtoria literarum, tantum nomen & inſignia in rem literariam merita, quibus æternam ſui memoriam fecit Velſerus, ignota eſſe exiſtimo, unde facile iſtorum elogiorum enarratione ſuperſederi poteſt, quæ in eum omnis eruditorum cohors cumulavit, præſertim, cum poſt Cl. CHRISTOPH. ARNOLDVM in diſſ. de vita ejus, Operibus junctim editis præmiſſa, ITTOMAS POPE-BLOVNT in cenſura celebrium auctorum, & PETRVS BAYLE in Dictionario hiſtorico-critico digna tanto viro honorum tropæa erexerint. De præſenti tantum Monumentorum Auguſtanorum, ab illuſtri Duum-Viro editorum ſupplemento pauca quædam dicenda ſunt. Collegit ſcilicet hæc monumenta, poſt alteram Mon. Aug. editionem, quæ Venetiis 1594. fol.

prodiit, & in qua multa editionis primæ, quæ Ven. 1690. 4. lucem aſpexit, mutavit, addidit, correxit; proprioque ea codici locis ſuis ipſe adſcripſit, quo conſilio tamen, incertum, niſi aliam adhuc editionem animo concepiſſe, morte tamen præventum conſilium exequi non potuiſſe Virum illuſtrem ſuſpiceris, id quod additæ hic inde breves in Comm. de rebus Auguſtanis emendationes tantum non ſuadent. Illa itaque λείψανα cum in Codice Velſeriano conſpicerem, vel ob illam ſolam cauſam luce publica non indigna putavi, quod Velſerus in his literis ſummum ſibi nomen famamque tum propria antiquitatum Romanarum inveſtigatione, tum benevole communicatis cum aliis, imprimis JANO GRVTERO divitiis ſuis comparavit, qua de re hic pluribus in Theſauri Inſcriptionum limine videndus eſt. Indignum itaque judicans, ſi quicquam, quod a tanto Viro profectum eſt, in tenebris lateret, ſupplementa iſta deſcribere, & quod in Norica quoque Operum ejus editione omiſſa erant, incognita ſine dubio, & in obſcuro deliteſcentia publicæ luci ſiſtere conſtitui, ut egregium antiquitatis vetuſtiſſimæ, qua Vindelica Auguſti colonia merito

merito ſuperbit, monumentum, quod illi Velſeri ſui eruditio erexit, iſtis quoque acceſſionibus augeretur, & ſua quaſi conſtaret integritate: ſperans fore, ut profecta a Viro, qui in magno & priſco ævo magnus futurus LIPSIO audit, etſi pauca non ingrata fuerint harum literarum amantibus, cum & hic quædam deprehendi queant, quæ multam eruditioni lucem fœnerabuntur. De pauciſſimis quibusdam, quæ ſigno * adjecta ſunt, nihil monere neceſſe, niſi ea illuſtrandi quædam gratia, immo etiam augendi ex iis, quæ REINESIVS poſt Velſeri mortem attulit, addita fuiſſe, quæ ſecure, licet, deſpicias, modo Velſeriana, quorum quilibet apex cedro dignus eſt, benevolentiam Tuam, Lector, mereantur. Vtere itaque B. L. etiam hoc ſpicilegio, & Viri, quem omnium laude digniſſimum Muſa vetat mori, memoriam grato animo recolens Vale.

Jacobus Brukerus.

MARCI WELSERI
ANTIQVORVM QVAE AVG. VIND. EXTANT MONVMENTORVM SVPPLEMENTVM.

Pag. 205. n. I.

JUl. Jacobonius appendice de priſcâ Cæſiorum gente p. 18. hæc verba habet: His tribus porro Numinibus ſacra conjunctim fieri apertius demonſtratur ex pervetuſta inſcriptione quam Auguſtæ (cognomen non addit) inventam marmore elegantiſſimo legimus, cujus verba hæc ſunt:

IOVI. JVNONI. MINER
ANTONIA. M. LIB.
APHRODISIA. SCYPHOS. H
VENEREVM. SPECVLVM
DONVM. DEDIT

In tertio verſu H manifeſte pro ET poſita.

In templo S. Vdalrici inventum anno MDCVI. Saxum quadratum prægrande pulcherrimis literis ſculptum

I. O. M.
M. TR. SECCO

Pag.

Pag. 211. * n. VIII.

In hortis M. Welſeri ſaxum quadrilaterum ab omni parte ſculptum. Frons inſcriptionem habet: dextrum latus Mercurium cum caduceo, crumena, gallo & hirco : Siniſtrum Martem cum haſta & clypeo : tergum victoriam cum palma & laurea.

AEL. MONT.
HAEDER. PRO
SALVTE. SVA. ET. P
HISP. C. ANA. VILI
FILI. ET. AEL. MON,
FESTINAE. CON
IVGI. V. S. L. L. M
D. D. D. VII. KAL
SEPT. GETA. II. E
PLAVTIANO
II. COS

Omnes faſtorum ſcriptores Conſulum iſtud par habent, nullo aſcripto numero; ſed Plautianum bis fuiſſe Conſulem, Herodianus

* Vid. BECKIVS in Mantiſſa Monumentorum Aug. Vindel. inſcr. I. ubi m. de errore in Coſſ. quædam.

nus diſerte prodit, & meminit ejus iterum Conſulis Vlpianus Dig. l. 37. tit. 17. l. 2. de Geta hoc ſecundum Conſule nullum præterea exſtat teſtimonium. Vtrumque priorem Conſulatum inter ſuffectos geſiſſe apparet, cum inter ordinarios nullus locus vacet. Getam vero Septimii Severi Imp. fratrem, non filium fuiſſe (quod quidam exiſtimaſſe videntur) aliis dudum obſervatum, non æque illud; hinc eorum errorem fluxiſſe, qui Antoninum & Getam Septimii filios utrumque II. Antonium & Getam utrumque III. Conſules comparaverunt, cum jungere deberent Antoninum II. & Getam, Antoninum III. & Getam II. uti in Panuinii marmoribus legitur, numerum enim a fratre Imperatoris in filium imperite continuarunt. Quæ labes non ſolum faſtos Græcos, Caſſiodorum alios, uerum Juſtinianeum etiam codicem uicies & quod excurrit, inſedit, tot correctorum opera nondum eluta. Antoninus enim & Geta uterque II. Coſſ. habentur Codicis l. 1. tit. 54. l. 1. lib. 2. tit. 12. l. 7. & l. 8. libr. 3. tit. 1. l. 1. tit. 28. l. 4. tit. 33. l. 2. lib. 5. tit. 69. l. unica lib. 6. tit. 3. l. 2. tit. 46. l. 2. tit. 54. l. 1. lib. 7. tit. 21. l. 2. lib. 8. tit. 14. l. 3. tit. 16. l. 2. tit. 26. l. 1. tit. 45. l. 2.

Geta

lib. 9. tit. 12. l. 1. tit. 32. l. 1. Antonius & Geta uterque II. Coſſ. lib. 2. tit. 12. l. 9. & l. 10. lib. 6. tit. 35. l. 2. tit. 52. l. 4. lib. 8. tit. 14. l. 4. tit. 26. l. 2. tit. 41. l. 3. Quibus omnibus locis, ſi uerum amamus, unum Getæ Conſulatum detrahemus. Mirarer tot editores in re non obſcura parum vidiſſe, niſi fœdiora reliquiſſent; præteriere ſupra triginta leges Duobus & Aſpris Conſulibus datas, quod neque profecto ferri, neque adeo intelligi poteſt: & quantum erat ejecta inter media uocula *Duobus Aſpris* reſcribere, ſi Aſpros in Apros Siculorum faſtorum auctoritate mutare nolebant! Porro Geta Conſul tertium deſignatus non iniit, fratris ſcelere occiſus. Extat nummus apud Occonem, P. SEPT. GETA. PIVS. AVG. BRIT. PONTIF. TR. P. IIII. COS. II. DES. III. P. P. qui conficit, Getam, cum Auguſtus II. Conſul dicatur, Cæſarem III. Conſulem eſſe non potuiſſe. Plautiani nomen in lapide ſtudio eraſum apparet, poſt ejus nimirum mortem ſic tamen, ut legi adhuc poſſit.

In

In hortis Welſerianis

hetCVLI STATVAM
CVM. BASE. AVRELIVS
MVCIANVS. V. P. P. PR
PRO. SALVTE. SVA. SVO
RVMQVE. OMNIVM
poSVIT. CVRANTE
. . . GERONTIO . . .
. . . .

Vir perfectiſſimus Præſes Prouinciæ an Prouinciæ Rætiæ Aurelius Mucianus, * quis fuerit, porro licet quærere. Veſpaſiani, Septimii Seueri, aliorum Imperia Mucianos habuere, quos ego ad hunc lapidem alligare non auſim. Neque de Gerontio quidem quidquam præterea mihi compertum.

---

* Apud Reineſium VIII. 82. lapis Romanus occurrit hac inſcriptione:

D. M.
AVREL. MVCIANVS
VETER. EX. N. SING. AVG
N. VIX. ANN. XXXXV.
DOMO. THRACIA
IVL. VALENS. LEG. HE
RES. AMICO. ET. MVNICIP
OPTIM. B. M. F. C

Pag.

Pag. 215. n. XIIII.

In domo Jo. Vdalrici Humpis, Canonici.

IVVENNIAE. PRISCae
VXORI. CARISSIMae
. . . .
. . . . bene
DE. SE. MERItae
MALRINIVS. FE
DEC. MVN. QV . .
SACERDOTALIS. omni
bus. hONORIB. IN. rep.
SVA FVNCtus

Pag. 217. *ad vocem : Cleuphas.*

Cleophas videtur Scaligero Græcum nomen contractum ex κλεόφιλος κλεοφᾶς, ut κλεόπατρος, κλεοπᾶς.

Pag. 218. n. XIX.

In Suburbio Mariano, ad januam cauponæ.

L. VAL. RVSTICVS
LVGVDVNENS
VIXIT. ANN. LXX
TESTAMENTO. F. I

L. Va-

L. Valerium Ruſticum mercaturæ etiam cauſa Auguſtæ egiſſe, ueroſimile eſt. Lugudunum & Lugdunum promiſcue habent: ſed annotavit Dio l. 46. hiſtoriarum, Luguduni nomen uetuſtius eſſe, quam Lugduni.

Pag. 222. *ad vocem: trochum* *

Scaliger putat trochum ingentem circulum fuiſſe, quem radio in triviis agitabant pueri, ut ſolent in urbibus Batavorum; qui hic ſpectatur, minutus fuiſſe pueris inſtar σόλȣ, quo in palæſtra adultiores ſe exercebant.

Pag. 227. *ad literas inſcript.* n. XXXIII.

N. I. F. L.

Joh. Scaliger literis K. Aug. An. MDIC. datis tentabat, an mutari poſſet N. HS. L. hoc eſt nummis ſeſtertiis quinquaginta.

Pag.

---

* Vid. quæ monuit HIER. WELSCHIVS de Vena Medin. c. 12.

Pag. 230. n. XXXVII. *

Saxum grande effoſſum ad Vindonis alveum III. K. Febr. Ann. MDCIII. & in hortos Velſerianos translatum.

D. M.
C. SENILIO. PERVINCo
VETER. EXSIGNIFERO
LEG. III. ITALICAE. ET
SENILIO. INPETRA . . .
AVREL. SABINIANVS
INGENVI HERES. FECIT.

Pervincæ nomen ſupra extat XV. Inſcript. Imagines in alio licet ſaxo, eodem tamen loco effoſſæ, videntur una C. Senilii Pervinc. patris, altera Senilii Impetra † filii. Civili pater veſte, puta veteranus, & emeritus. Eo Cæſar apud Lucanum:

Ipſe ego privatæ cupidus me reddere vitæ
Plebejaque toga modicum componere civem.

Ibid.

* Exhibetur etiam a Grutero p. 1159. n. 14. & Beckio in Mantiſſa monum. Aug. Vind. Inſcr. II. qui aliter legit & interpretatur.

† Impetratum legiſſe Welſerum ex Inſcr. ſeq. patet, cui hæc interpretatio, non Grutero, adſcribenda.

Ibid. In hortis Welſerianis.

D. M. ET. P
ERPETVE. SECVR
ITA TI. VALERI
CATVLLINI. CO
EX. A/BDA A/.
. . . .
QVI. VISSIT. AN
XXX. MES. IIII. D. VII.
VAL. SENILIA. COIVS
FECIT. TITVLVM
D. M. P.

Et character & orthogragraphiæ ratio indicio ſunt, hæc ad ima rei Romanæ tempora referenda eſſe. VISSIT. MESES. CVIVS pro Vixit, Menſes, Conjux, etiam alibi extat. Vide Celſum Cittadinium de origine linguæ vulgaris, & Gruteri indices. Val. Seniliam, Senilium Pervincum & Senilium Impetratum attigiſſe omnino credendum.

Pag. 233. n. XLIII.

In monaſterio S. Vdalrici fragmentum

∴ ISSII

Ibid.

Ibid. In ædibus Jo. Drexelii

O SEC . .

. . I . R

C. SATVR ∕ ∵

Ibid. In domo privata fragmentum

D . . . . . m.

EGI . . . . .

. . VM . . . .

IVS . . . . .

IN . . . . . .

Ɋ . . . . . .

Item fragmentum

C . . . . . .

E X . . . . .

L . L . . . . .

Pag. 244. *ad Vocem EXORDIARIVS*

Vide Nic. Greg. l. 8. p. 158. de præſtigiatore cum globo vitreo varie ludente.

And. Schottus Roma A. D. X. Kal. Jan. An. CIϽIϽXCV. ad Jacobum Pontanum Auguſtam.

Legi M. Welſeri Annales pereruditos: multa de coloniis præclare. Inſcriptionem illam Ro-

manam, quam ab amico & cive meo Ortelio accepit: VRSVS togatus vitrea qui primus pila, Romæ inſpeximus, fideliusque deſcripſimus: in extrema hic legitur rectius

CVIVS, NVNC LIBENTER DICOR EXODIARIVS

*Exodiarius, inquam, non ut editum dolo, exordiarius. Exodii meminit, & Juvenalis * Satyra, ni fallor III. & ibi ſchedæ antiquæ à Pithoeo editæ, Verſum Lucilii laudant,*

Principio cauſis dignum exodioque ſequente.

Sed cui ego hæc? cum tibi his meliora domi ſuppetant: admonere tamen viſum, ſi, ut fit, humanitus, oculorum aciem præterfugiſſet, vel operarum eſſet ἁμάρτημα.

Abrahamus Ortelius Antuerpia K. Mart. An. MDXCVI. ad M. Velſerum, And. Schotti quadam epiſtola una miſſa.

Sub

* Vetus Scholiaſtes ad illud Juvenal. Satyr. III. v. 174. *Tandemque redit ad pulpita notum Exodium: Exodiarius apud Veteres in fine intrabat, quod ridiculus foret; ut quicquid lacrymarum ac triſtitiæ cepiſſent, ex Tragicis affectibus hujus ſpectaculi, riſus detergeret.* Conf. memorabilis locus LIVII l. VII. c. 2.

Sub finem literarum Schotti leges emendationem inſcriptionis a me miſſæ, quod valde miror: a quo enim eam habui, aderat, cum ipſa effoderetur, & idem ipſe exſcribebat, vir harum delitiarum admodum peritus, qui idem quoque ſuis ad me literis, de verbo illo EXORDIARIVS ſe mirari ſignificabat: locum itaque forma dubium, aut antiquitate eroſum, fere mihi perſuaſerim: at nihil de re mihi non viſa judico, ſub judice me peritiore potius lis erit.

Ad antiqua agri Auguſtani monumenta.

Pag. 246. poſt voces: Apollini Granno & Sironæ Dis præſentibus.

Et Muſſelburgi in Scotia, ut habet Gruter. p. 37. n. 12. APOLLINI. GRANNO. Q. LVCIVS. SABINIANVS. PROCOS AVG. Item in Scotiæ pago Enderask, ut eſt apud eundem Grut. p. 3. 8. n. 4. APOLLINI. GRANNO. Q. VOLVSIVS. SABINIANVS.

Pag. 247. ad vocem MIRPA. n. III.

Scaligero Mirpa eſt μιρφᾶς ut Ciceroni Rupa ῥυφᾶς a Rufo.

Ibid. n. V.

IN. H. DD.
APOLL. GRANNO
BAIENIVS . VICTOR
ET. BAIENIVS. VICTO
RINVS. FILI. EIVS. EX
VISSV. SIGNVM. CVM
BASE

Eugip. c. 28. Bienniùm quendam nominat, qui huc tamen nihil pertinet. VISSV mendoſe eſt pro IVSSV, niſi EX VISSV pro VISV ſit.

Pag. 248. n. IX.

Altenbaindi in templo. Exſcripſit Jo. Jacobus Remboldus an. MDVC.

FLAVIO. VICTORI
CLAVDIA. MARITO
CONIVNX. F. CVRAVIT
VIXIT. ANNIS. LXV.

Lapis eſt inſertus altari, literis inverſis. Inter Inſcriptiones Auguſtanas extat Julii Victoris nomen n. XIX. Victorii Victoris n. XVIII. Victorinæ XX.

Pag.

Digitized by Google

Pag. 250. n. XII.

Gunzelhofii
Imp. Cæſ. L. Septimius
Severus. Pius. Pertinax
Aug. Arabicus. Adiab. Parthicus
Maximus. Pont. Max. Trib.
Pot.VIIII.Imp.XII.Coſ.II.P.P.Procoſ.Et
; MP. CAESAR. M. aurelius
ANTONINVS. PIVS. AVG. TR ꝶ
POT. IiiI. PROCOS. &. imp. p.
Septimius. geta. antoninus
VIAS. ET. PONTES. REST.
AB. AVG. M. P.
XXXI.

Pag. 254. *ad vocem ſcimpodium* n. XIII.

Scaligero non videtur lectus diſcubitorius, ſed potius ἀνάκλιθρον ex ſella & lecto, hoc eſt medium quid inter ſellam & lectum, in quo ſemiſupini recubabant, pedibus in ſcamillo ſuppedaneo quieſcentibus.

Pag. 257. *ad vocem PANNYC D*

Scaliger l. PANNICYDI, quod rectius erat, ait PANNYCHIDI; Παννυχίδι.

Ad monumenta peregrina.

Pag. 260. n. II.

Viennæ in Lazii ædibus, Grut. p. 524. n. 6.

D. M.
C. ATTIO ROM.
VLO. AVGVSA
MIL. LEG. X. G. EX
ALA. CVSTOD
. . . XIIII. H. F. C.

Scaliger, qui indices operis Gruteriani, etſi nomine non aſcripto, confecit, hæc indice X. ad Auguſtam Vind. refert.

Pag. 261. n. III. *ad vocem ER. LEG.*

Scaliger legit: Erogatorem legionis, de quo in codice Theodoſiano.

Pag. 263. n. V. ad vocem VEIN.

Scaliger negat ad Vindelicos pertinere, quia EI pro I. longa nunquam ponebatur, niſi ſequente uocali poſt N, ut ΑΑΤΕΙΝΟϹ, ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ & ſimilia. Contra Scaligeri obſervationem eſt Inſcript. Grut. p. 1046. n. 6. VEIXSIT.

* Albæ

* Albæ in Latio inſcriptionem extantem notat Reineſ. VIII. 557.

BASSVS. GERMANVS
GERMANICI. AN
DRVSI. CAES
NATIONE. VEIVS
VIXIT. ANN. XXX.

Vejum & Germanum ſimul ſtare non poſſe manifeſtum; jubet itaque V mutare in N. ut legatur NATIONE. VEIND. EI. pro ſimplici I. poſita.

Pag. 265. n. VII.

Tibure in baſe marm. Leon. Gueten-ſteinius Roma miſit anno MDC.

SEX. OPPIO. PRISCO.
V. C. X. VIR. STLIT. IVD.
ELECTO. INTER. ORDINAR. AB.
ACT. SENAT. AEDIL . . . . . .
ADLECT. INTER. PRAETOR . .
PROC. PROV. . . . . LYCIAE .
RROC. PROV. DACIAE. PROC. PROV.
RAETIAE. ET. VIND . . . . . .
QVAEST. PROV. MACEDONIAE.
IIII. VIR. VIAR. CVRANDAR.
PATRONO. INCOMPAR.
S. P. Q. TIBVRS
OB MERITA. EIVS

Pag. 267. n. X.

Romæ in cippo marmoreo. Habet Gruterus p. 529. n. 5.

D. D. M.
MERCATORI
NAT. RAETO
ANNOR. xiiiI
SERVO. DE. SE
MERENTI
L. AVR. GENTILIS
DVPLICARIVS. DOMINVS.

Ibid. n. XI.

Romæ effoſſum via Labicana. Jac. Sirmondus miſit

D. M.
T. AVRELIO, AFRICANO
EQ. SING. AVG. EX TVR
GERMANI NAT
RAITVS. VIX. ANN. XXIII.
MIL. ANN. V. T. AVR.
FAVSTINIANVS
TRIBVNI HERES
AMICO OPTIMO. F. C.

Pag. 270.

Ameriæ ad S. Secundi. Gruter. p. 1080. n. 7.

P. RAETIVS. RVFVS
IIII. VIR. ITR. MESSA...
MEL . . . . .

Idem Gruterus p. 1099. n. 9. Paullo aliter
RAETIVS. T. F. RVFVS.

In notis Tyronis & Senecæ a Grutero editis c. 5. p. 140.

Retus

Retia

Reticus

Eboræ in Reſendii ædibus.

L. VOCONIO. C. F. QVIR.
PAVLLO. AED. Q. II VIR.
VI. FLAM. ROM. DIVORVM
ET. AVGG. PRAEF. COH. I.
LVSIT. ET. COH. I. VETTO.
NVM... LEG. III. ITAL. OB
CAVSAS. VTILITATESQ. PV
BLICAS. APVT. ORDIN. AM
PLISS. FIDELITER. ET CON
STANTER. DEFENSAS. LE

GATIONE. QVA GRATVI
TA. ROMAE. PRO. R.P. SVA
FVNCT. EST.
LIB. IVL. EBORA.
PVBLICE. IN. FORO.

Pag. 272. n. XXII.

In horto S. Joannis Arelate. Gruterus p. 550. n. 7.

D. M.
LICINIAE. MAGNAE. QVAI
MATRONAE. L. SEVERVS. T.
IVLIVS. VALENTINUS. T. IVLIA
VALENTINA. FRATRES. T. LICINIVS
RVSTICVS. 7. LEG. III. ITAL. MARITVS

Pag. 273. n. XXIII.

Tarraconæ, ad D. Laurentii, juxta ſacrarium. Gruter. p. 555. n. I.

L. NVMERIO
L. F. FELICI
7. LEG. VII. G. P
7. LEG. XX. VICT
7. LEG. XXII. P. R
7. LEG. III. CYR

7.

7. LEG. III. ITAL
MAMILIA
PRISCA. MARITO
OPTIMO

Ibid. Arimini ad pertam S. Andreæ. Grut. p. 1091. n. 12.

L. BETVTIO. L. F.
PAL. EVRIANO
P. P. LEG. III. ITAL. II VIR
QVINQ. II VIR. I. D. IIII VIR
AEDILI. CVR. PONTIF
FLAMINI. DIVI NERVAE
PATRONO. COLON
COLLEG. CENTONARIOR
AMANTISSIMO. PATRIAE
L. D. D. D.

* Sub-

Digitized by Google

* Subnectere his, quæ apud TH. REINESIVM de Rhætis & leg. III. Italica occurrunt, inſtitutum Welſeri ſuadet

pag. 515. Cl. VIII. n. 13.

D. M.
T. AVRELIO
SPERATO. EQ. SING.
TVRMA. AERELI
SABINIANI. NATIONE
RAETO. VIX. A. XXXVII.
MILITAVIΓ. A. XVIIII.
AVRELIVS. QVINTVS.
DVPLICARIVS. HERES.
ET. AVRELIVS. AVRIANVS
SESQ. SECVNDVS. HERES
AMICO. OPTIMO. F. C.

Pag. 533. n. 54.

Albæ in pariete quodam fragmentum.

ıIs . . . .
RAC. PR.
IC. RETVs
TRIB. LEG. XII.
V. L. S.

Pag. 213. Cl. I. n. 224.

Romæ in ruinis viæ Nomentanæ ara marmorea.

DIS. DEAB. PATR. SACR.
Q. ALERIVS. Q. F. CLAVD. SA
BINVS. EQ. ROM. TVRMAE
L. VALERI. SANQVINI. EL
PRAET. LEG. III. ITALICAE
SVA PECVNIA

VI.

VI.

ANALECTA
AD HISTORIAM FRANCISCI JOSEPHI BURRHI.

Famoſum eſt nomen FRANC. JOSEPHI BURRHI, Viri arrogantis & portentoſi, qui ſuperiori ſeculo non in Italia tantum ſua, ſed & in noſtra Germania atque alibi ſe magnifice jactavit, ac variis contentionibus anſam præbuit. Fata ejus diverſa, & monſtroſas ac abſonas plane, quas fovit, ſententias, nec non alia memorabilia poſt Italicum vitæ illius ſcriptorem Bælius in Diction. Hiſt. Crit. & Viri eruditi enarravere, quorum induſtriæ Lexicon Univerſale Germanicum (cujus duos priores Tomos non ſine augmento pronuper nobis recuſos, obſtetricante præcipue Celeberrimo Jac. Chriſtoph. Iſelio, dedit Baſilea) debemus. Hieron. quoque Aug. Groſchufius quædam de ipſo notatu digna novæ ſuæ librorum rariorum collectioni (*a*) inſeruit, quibus paralepomena adjecit D. Burc.

(*a*) Faſcic. I. p. 243. ſqq.

Burc. Goth. Struvius in Actis literariis e Manuſcriptis erutis (*b*). Heic igitur loci itidem aliqua, hiſtoriam ejus illuſtrantia, exhibere viſum eſt, quæ ingrata ſpero fore nemini. Benevole ea in MSto meis conceſſit uſibus Vir Clariſſimus, & amicitiæ ſanguinisque neceſſitudine mihi junctus, Balth. Ehrhartus, Medic. D. Notabilis præſertim eſt Bulla, quam vocant, ab Inquiſitionis Officio conſcripta, quæ num unquam typis excuſa fuerit, ignoro: minus certe obviam eſſe exinde auguror, quod, omni licet adhibito ſtudio, a me inveniri typis exſcripta nequierit. Cæterum de Burrho ſingularia etiam quædam leguntur in Thomæ Bartholini Epiſtol. Medicinalium Cent. III. p. 386. 403. 409. ſq. 432. ſq. item in Epiſtolis familiaribus varii, theologici potiſſimum argumenti, quas edidit A. 1718. Wittebergæ, notisque illuſtravit J. Herm. ab Elswich, Faſcic. I. p. 85. ſqq. & p. 91. ſqq. nec non in Miſſonii Itinere Italico, Part. II. p. 628. ſqq. edit. Lipſ.

Aus

(*b*) Tom. II. Faſcic. I. p. 19. ſqq. & Faſcic. IV. p. 377. ſqq.

Aus Herrn D. J. Ph. *ſ. Schreiben* ſub d. $\frac{1}{11}$. Sept. 1660. *in Breſslau.*

I*Ch vernehme, daſs* Burrus *(ſo allenthalben ausgejaget worden) nunmehr in hoher* æſtim *zu Dresden ſey: Ich förchte, daſs nicht der Nachklang endlich folgen möchte, den er allenthalben (wo er geweſen) ſehr ſchlecht hinter ſich gelaſſen; Wie nicht allein ſolches des* P. Athan. Kircheri *Schreiben an den* Caſp. Schottum *bezeuget, ſondern auch Herr* D. Sebizius *von Straſsburg aus, mir ein Schreiben zugeſendet, und unterſchiedene Worte* excerpiret *aus einem Brief von einem* Med. Candidato *an ihn aus Italien geſendet, da unter anderm gemeldter* Candidatus *alſo an Herrn* D. Sebizium *ſchreibet:*

DE B. non poſſum quin quædam addam. Iter una mecum fecit Auguſtam Gallus quidam de Nancy, is per omnia ſacra juravit, ſi iſtic locorum iterum deprehenderetur, eum certo flammæ deſtinatum fore. Dum itineris ſocios Auguſtæ Vindelicorum in diverſorio primario expectabam, Roma redierunt Electoris Trevirenſis ex ſorore Nepotes, qui, & ſubinde alii Roma reverſi, ingenue me monitum volebant,

ne

ne quid in Italia in laudes ejus dicerem. Incidi quoque in primis Italiæ terminis in Clericum quendam Mediolanenſem, virum (quantum ex comitatu & honore, qui ipſi deferebatur, colligere potueram) magnæ auctoritatis; qui (cum varios de ipſo ſermones miſcuiſſemus) in hæc erupit verba: Diabolus eſt cum ipſo, quicquid dicit & agit ex inſpiratione diabolica facit. Patavii Dominus Carolus Offredi certiorem me fecit, Burium Patavii multa rumpendo & frangendo vaſa deſtillatoria ſatis declaraſſe, quantum noverit ignis regere gradus? & quantum excellat in Alchimia? Auguſtæ Vindelicorum ſemel atque iterum tranſivi in pagum quendam, ad Hebræum aliquem, qui Burium ex quatuor qui ſint in Europa Cabaliſtis maximum dicebat; atque majora jactabat, quam alii de ipſo vel ſcribunt, vel loquuntur. Hæc ille.

Wie es zu Dreſsden mit ihme werde Beſtand haben? wird die Zeit lehren.

Aus

Aus Dresden d. 20. Nov. 1660.

A*Llhier* paſſiret *anjetzo mehr nicht, denn daſs* Don Burro *am verſchienenem Sonnabend ſich von hinnen begeben, und weiſs niemand wohin? es zweiffelt jedermann an ſeiner Wiederkunfft. Iſt von Churfürſtlicher Durchleucht und Dero Gemahlin ſtattlich (und über 3000. Thlr. hoch) beſchencket worden, ungeachtet er nicht groſſe Thaten davor gethan haben ſoll.* Burius *hat Churfürſtl. Durchl. vor ſeinem Abreiſen verehret ein Gläſslein voll Götter-Waſſer, und ein Büchslein von Diamanten; auch bey ſeinem Abreiſen* bene potatus *ſeinen Wanſt aufgeriſſen, Churfürſtl. Durchl. ſein bloſſes Hertz gewieſen, hinein zu ſehen.*

Clariſſimo & Doctiſſimo Viro Joh. Henr. Bœclero Academiæ Argentoratenſis Profeſſori Celeberrimo Lucas Holſteinius. S. P. D.

QUamprimum fama hic percrebuit, Burrhum impoſtorem, Catholicorum principum provinciis excedere coactum, Argentoratum ſe recepiſſe,

ibique in ſenatus clientelam ſe dediſſe, facile judicarunt illi, quibus & civitatis illius ſtudium ad publicam honeſtatem conſervandam, & extrema nequiſſimi hominis improbitas cognita perſpectaque eſſet, commorationem iſtam haud fore diuturnam, abeſſe enim non poſſe, quin ſorex ille ſuo ſe indicio proderet. Id nunc factum video, doleoque virum bonum & eruditum in nominis famæque diſcrimen ab infami calumniatore adductum. Verum quamvis ea res moleſtiam aliquam tibi afferat, periculo tamen caret, Tua enim tibi fama in tuto poſita eſt, ut perditiſſimi nebulonis conatibus convelli nequeat: quin etiam diſcuſſo calumniarum fumo clarior illuſtriorque emicabit. Miror ſane principes Germanos noſtros toties eluſos iſtorum impoſtorum fraudes non perſentiſcere, qui promittendo aureos montes ipſos tandem ſeducunt, & naſo ſuſpenſo tenent. Veneficii quæſtio in Burrhum ante biennium inſtituta, quo in loco ſit, ex adjuncto Tabellionis publici teſtimonio cognoſces. Venena domi apud Palmam Burrhi famulum reperta, ſed muliercula & Palma, ejurata ejus rei notitia, & culpa in ipſum Burrhum rejecta libertati utcunque reſtituti:

Ita

Ita tamen ut domum pro carcere habeant, indicta ducentorum ſcutorum pœna, ſi pedem extra limen efferant, dataque cautione vicarii, ex cujus officio acta examinis depromi poſſunt, ubi opus fuerit. Interim gravior adverſus eum quæſtio de hæreſi & atheismo & infinitis aliis ſceleribus apud fidei quæſitores flagrat: & poſt menſem unum aut alterum ſententia in eum feretur cum digno hominis elogio. Affirmant mihi, qui cauſam hanc tractant, & ſingula criminum capita preſſius examinarunt, ſuperare fidem humanam, tot ſcelera & flagitia in unum hominem potuiſſe confluere. Ea ſententia, quæ nebulonem illum tot ſcelerum reum peraget, tuam aliorumque bonorum Virorum famam in integrum reſtituet. Hæc raptim ad te ſcripſi, Vir Clariſſime, ne deſiderium & expectationem tuam differrem. Ubi Pontifex cum comitatu ex ſuburbana ruſticatione ad urbem redierit, diſtinctius ad te perſcribam, quæ cauſæ tuæ præſidio eſſe poterunt adverſus malas iſtius impoſtoris artes. De Svecia & Sereniſſimæ Reginæ in te animo, quod calumniator ille ſpargere auſus fuit, meram fraudem & impoſturam eſſe mihi certiſſimo conſtat.

Cum enim mihi crebri ſermones fuerint cum maxima illa & Sapientiſſima Heroina de te tuisque ſtudiis & in Rempublicam Litterariam meritis, nunquam illam ſine ſingularis benevolentiæ ſignificatione de te locutam memini: adeo quidem ut diſcedentem ab urbe rogaverim, ſi ſecundo Rheno deſcenderet, quod nonnulli ob itineris facilitatem & compendium eam facturam exiſtimabant, teque ἐν παρόδῳ videret, ut abſoluta Polybii recenſione ad Flavii Joſephi novam editionem ſua te auctoritate permoveret. Cum in diſſertationum tuarum volumine egregio ſpecimine oſtenderis, quanto cum bono publico iſtiusmodi labore defungi poſſis. Quocirca moneo te ut calumnias iſtas fortiter ſpernas, nec dubites, quin malæ artes in ſuum tibi autorem ſint rediturae. Ubi majus ſcribendi otium fuerit, de locis quibusdam Polybianis quid ſentiam, tibi aperiam.

Vale.

Romæ, X. Kal. Novembr.
CIↃ IↃCLX.

Nos

Nos Franciſcus N. N. N. N. ſupremæ & univerſalis inquiſitionis S. R. E. Cardinales.

JOſephus Franciſcus filius quondam Brandæ Burrhi Mediolanenſis ſpurciſſimus Romæ juvenis anno 1654. propter rixas in eccleſiæ aſylo impudicitiam ſuam in hypocriſin vertens a conſortio lubricæ juventutis abſtinere cœpit, templa frequentare, ſermones ſanctos miſcere; poſt continuatum duobus menſibus hujus vitæ tenorem, non nemini ſecretiſſime dixit: Inſtare tempus, ut unum in orbe fieret ovile, cujus caput futurus ſit Pontifex, hujus exercitibus omnes delendos vocationi refractarios: ſe fore imperatorem exercituum, ſumtus ſuppeditando a Philoſophico lapide, quem cum auri fœnore reperturus ſit propediem, victoriam non fore ſibi difficilem, quam Angeli & potiſſimum S. Michael ſit adjuturus. Ad perſvadenda hæc omnia finxit, ſibi in converſionis principio ſecundum quietem objectam fuiſſe palmam luminibus radiantem, cum qua prophetiæ donum acceperit. Inter hæc præparavit toxica potentiſſima ad pa-

parandam necem, quæ reperta cum ſcriptis judici ſeculari contradita fuere. Ad anterioris vitæ notam abolendam narravit cuidam, ſibi relata eſſe nomina Angelorum & præcipue, qui ſortirentur nomina a cuſtodia inſtrumentorum patientis Chriſti, qui poſt reſurrectionem adinferos deſcenderit, ut a diabolis adoraretur. S. Michael in ſuo corde reſidentem revelare ſibi ſecreta cœleſtia, & quicquid tunc in conclavi de creando pontifice tractaretur: quo electo rediit Mediolanum, & cum idiotis nocturnos inſtituit congreſſus, ideoque ſuſpectus apud inquiſitores delatus fuit. Simulata pietate ac Zelo honoris Dei, impenſo etiam nonnullo temporali ſubſidio varios allexiſſe idiotas, quibus in clandeſtina congregatione devotiſſima primum, mox venenum propinavit perſuadendo illis a Deo eos vocatos, & rebus maximis deſtinatos eſſe, aliquos urſiſſe ad remittenda vota, verbis ab Angelo ſibi dictatis, primum unionis fraternæ, ſecundum ſilentii & ſecreti inviolabilis cognitionum cœleſtium etiam apud confeſſarios: tertium erga Chriſtum & angelos: quartum paupertatis: quintum Zeli propagandi regni altiſſimi, ſubinde ſextum adjungere præpoſiti fundendi ſanguinis.

guinis. Hæc vota edi coram S. S. Trinitate præſente humanitate Chriſti & B. Virgine, S. Michaele, Paulo, Joh. Baptiſta, Jacobo, Ludovico, Carolo, Alexandro. Ad hæc facilius inculcanda Sectatoribus ſuis venditaſſe ſomniati regni, quod vocavit altiſſimi, ſpatio viginti annorum occupationem, cujus ipſe ſit futurus imperator & caput cum aſſiſtentia S. Michaelis, ideoque appellaſſe ſemet Prochriſtum, id eſt, defenſorem Chriſti, quod regnum in diſcipulis initium jam ſumſerit, quia regnum Dei intra vos eſt, ipſos prædicatores futuros & vindices adverſus peccatores exterminandos, permiſſo tamen illis antea ſacramentorum uſu, e quibus omnes occidendi ſint usque ad Romanum Pontificem, ſi ſignum in fronte non præferrent: adjuturum in hoc S. Michaelem cum aſſeclis ſuis obices ſuperandas eſſe, fulminandas excommunicationes Dei juſſu contemnendas, ſtrages ingentes etiam Romæ edendas, quo deportanda ſint peſſimorum quorumcunque truncata capita in exemplum poſteritatis, poſtea Romam amplificandam eſſe, qua parte ſancta ſanctorum viſuntur, quæ aperienda ſint & ibi ſcripta de B. Virgine reperienda, Pontificem Mo-

 derni

derni ſucceſſorem omnia confirmaturum Cardinales acciturum, a tergo throni ſui crucem & paſſionis inſtrumenta collocaturum, etiam in coronam auream inſtar ſpineæ Chriſti geſtaturum, pacem mille annis duraturam, diabolo apud inferos ope B. Virginis & S. Michaelis alligato & ſectatores ſuos in nova religione victuros, cujus habitus ſit ex pellibus agninis candidis, hyeme duplex, æſtate ſimplex cum cruce in capite & collari ferreo cum lemmate: Ovis mancipium paſtoris agni: Utenſilia fore terrea & ſtraminea calices & patinas. Ab his figmentis ad Myſteria fidei transgreſſus docuit, Deiparam eſſe Deam, quia Filius ipſius ſit Deus. Conceptum fuiſſe ſine hominis ſemine, Spiritu Sancto in ventre S. Annæ incarnato, cum quo eadem ſit Deipara quæ nata fuerit ex S. Anna Virgine appellaſſe Deiparam ſacratiſſimam Deam filiam unigenitam altiſſimi, ſacerdotibus ſectatoribus ſuis præcepiſſe in canone ut adjungerent Uniſpiratam filiam in Angelica ſalutatione gratia plena idem eſſe ac Spiritu Sancto plena: Sacra cantica ad adſtruendum hoc myſterium Spiritus Sancti incarnati ab ipſo Spiritu Sancto per Salomonem hujus inſcium dictata fuiſſe com-

commentariis a ſe ſuper illa edendum, collectis omnium ſenſis, (*c*) quos ſui ſectatores exponerent variorum verſiculorum quos ex Canticis meditandos ipſis forte diſtribuebat: Nomine primi cœli patrem intelligi, ſecundi filium, tertii Sanctum Spiritum ad quem raptus fuerit Paulus, & arcana quæ vidiſſe ſe teſtatur fuiſſe hanc Spiritus S. incarnationem quam cum illi non licuerit manifeſtare, modo manifeſtari juſſam: in Euchariſtia non ſolum Chriſtum ſed & Mariam contineri, & adorari, particulam hoſtiæ a ſacerdotibus in calicem demitti ad ſignificandam unionem Chriſti & Mariæ in illo ſanguine pretioſiſſimo. Præter cœlum, infernum & purgatorium eſſe Limbum quartum locum, ad quem multi infideles deſcendant. Eccleſiaſtem ſcatere erroribus a Salomone compoſitum: In peccato mortali a religioſis ad ſuos errores tuendos uſurpari, corrigendum poſt adeptum altiſſimi regnum; hos errores non tantum inter ſectatores ſuos, ſed etiam cuidam nominato in proceſſu extra ditionem Mediolanenſem communicavit, imo in contuber-

K 5

(*c*) In hac periodo quædam vel corrupta vel omiſſa ſunt.

tuberniis ſuis etiam prædicavit & dictavit, qui in manus inquiſitorum delati, juridice recogniti ſunt pro prædicatis & dictatis ab ipſo Burrho ex quibus hæreſes ſequētes colliguntur. Deitatem in tertia perſona eſſe quandam tertiam Deitatem: in filio principium eſſe omnipotentiæ amantis ipſi proprium, per quod ipſe ab æterno cooperatus cum intrinſeca omnipotentia amante & generante: filium ab æterno non contentum fuiſſe gloria ſua, ſed cupidiſſimum futuræ: Deitatem tertiæ perſonæ eſſe ſpiratam eſſentiam, verbi eſſe generatam & filiatam a filio ſtimulari patrem ad creandum. In tribus perſonis tres eſſe omnipotentias conſtitutivas unius omnipotentiæ, uti tres potentiæ unam animam conſtituant. Secundam & tertiam perſonam inferiores eſſe patre. His temporibus reſervatam fidelium & infidelium unionem, ut manifeſtentur prærogativæ Deiparæ filio ſuo æqualis, animam ſcilicet utriusque æqualem omnino fuiſſe. Luciferum a Deo juſſum adorare Mariam & JEſum in idea, quo recuſato ceciderit. Partem Angelorum in aëre hæſiſſe, qui Lucifero deſiderio ſolum non deliberata voluntate inhæſerint. Ante chaos materiale aliud productum a Deo qualitatum

&

& potentiarum formatricum compartes materiales. In creatione mundi elementaris Deum miniſterio angelorum uſum fuiſſe, permiſiſſe etiam ut ex ipſis crearentur variæ ſylveſtrium animalium ſpecies, pro gravitate culpæ ipſorum entitatem intellectualem Angelorum reproborum a Deo adhiberi ad animanda bruta. Homines vero animatos eſſe ex diviniſſima virtute vitæ generatæ & ſpiratæ, ideoque non annihilabiles. Sanctis in hoc mundo dominium in beſtias idem concedi, quod Adamo ante culpam: hanc doctrinam ex throno increatæ ſapientiæ deſumptam eſſe, & ideo inexpugnabilem. Creaturas ideales eſſe materiam primam Philoſophorum; infantes in peccato generatos, maculari in anima non originali ſolum culpa, ſed etiam actuali. Filios natos parentibus bonis faciliores eſſe ad virtutem quam natos malis. Voluntatem patris coactam fuiſſe ad creandum mundum. Ad hæc ſymbolo Apoſtolico inſeruit, quod Deipara exiviſſet ex gremio divinæ eſſentiæ, cum anima ipſius identificata, velut ad quos Chriſtus aſcenderit eſſe tres perſonas, patrem cœlum increatum, Filium cœlum generatum, ſpiritum cœlum ſpiratum, dex-

tra

tra Patris intelligi humanitatem Chriſti velut arbitram omnipotentiæ exterioris promanantis a patre. Mariam DEI Filiam fuiſſe ante conceptionem verbi: propter animam identificatam cum eſſentia divina ideo dici: *ab initio & ante ſecula creata ſum*, ſicut de Chriſto *occiſum eſſe ab origine mundi.* In oratione Dominica, *adveniat regnum tuum* explicuit de commentitio ſuo regno altiſſimi; in ſalutatione Angelica nominavit Deiparam uniſpiratam filiam altiſſimi. Sancti Spiritus incarnationem decretam propter peccatum Evæ, Deum obligatum ex Juſtitia non ex miſericordia ad auxilia gratiæ, juſtis concedenda. Ad inculcanda hæc dogmata idiotis, aſſeruit patrem æternum ipſis iratum eſſe ob incredulitatem quam pellere deberent per internum inſtinctum, quem nonnemo jam ſenſiſſet in uſu Euchariſtiæ. Converſum ſe eſſe a diſſolutione vitæ ſuæ quam ficta demiſſione propalabat ad S. Mariam majorem, mox ſecutum terræ motum S. Paulum & Michaelem apparuiſſe alterum clamoribus validiſſimis ſibi loquutum, alterum vero dixiſſe: multa diſſonantia venient, omnia tamen ad majorem Dei gloriam. Jactavit ſibi facillimum eſſe propter

donum

donum cœleſtium revelationum penetrare fidei noſtræ myſteria altiſſima, uti reſurrectionem mortuorum; eſſe ſe donatum mundo ad reducendos omnes homines ad Eccleſiam Catholicam. Habere S. Pauli autoritatem, cum qua reprehenderit ipſe S. Petrum, quæ auctoritas ſit eadem atque illa, quæ Pontifices creat, & cum hac illuminare ſe multos, imbuere etiam cognitionibus ac profundiſſimis ſacrarum litterarum arcanis. Hanc non conferri omnibus æqualiter a Deo: ſingulos tamen ſuam communicare poſſe ſingulis. Se utpote copioſius dotatum plurimis, & communicaſſe jam nonnullis ſuorum aſſeclarum impoſitis capiti manibus, & invocata primum S. Trinitate, ut eos dignaretur accenſere inter nationaliſtas Evangelicos, cum S. Michaele, Gabriele, Raphaele & cæteris cœlo ſpiritibus ad implorandum a S. S. Trinitate hujus dignitatis uſum, qui conſiſteret in dono ſapientiæ & notitiæ rerum neceſſariarum ad acquirendum regnum altiſſimi; Hac dignitate habere ſe pariter poteſtatem ſalvandi multas animas quæ baptiſmo carent: Denique a Deo accenſam in ſe flammam interiorem, qua diſtinguat illuſtrationes divinas & veras a falſis; & ſuas

ſuas pro divinis a perſona vitæ ſanctioris in proceſſu nominata probatas eſſe. Manu ſua elevata contineri res maximas, imo in digitis ſuis quoque totam omnipotentiam divinam reſtringi cum poteſtate totum orbem reducendi ad unum ovile & unum paſtorem. Alias vulgavit animas ſuorum ſectatorum ſibi comparuiſſe varia luce circumdatas pro virtutum varietate qua fulſerint in vita, in fronte videre ſe cujusque ſtatum interiorem & ſenſa, quia tutelarem angelum uniuscujusque in fronte videat in ſpecie lucis orbicularis; ideo ſectatores ſuos invicem in fronte ſe juſſit oſculari, quos elegiſſe ſe rudes dixit, ut opera eorum opera divina clarius haberentur, in tempore ſcientiis infuſis dotandos ex cognitione neceſſariæ ad adipiſcendum altiſſimi regnum. Sic feciſſe Chriſtum in Apoſtolis ſuis, unde libros vel erroribus ſcatentes qui haberent, defenderent ſuam doctrinam veram & confirmandam ab eccleſia, quæ in præſentia illa velut in nube teneat. Prævidens vero ſibi ſuisque imminentia pericula, hortatur omnes ad pœnarum & vitæ contemptum, juſſitque in novendiali pietate ad honorem Deiparæ inſtituta promittere ſanguinis pro amore Dei fun-

fundendi promptitudinem atque ab hoc holocauſto recta conduxit omnes ad locum ſupplicii publicum in quo carnificis inſtrumenta reponuntur, ibique oſtio loci ab omnibus oſcula figi præcepit, aſſerens in ſpiritu vidiſſe ſe Deiparam ratificantem ipſorum oblationem, & nives benedicentem eo loci forte jacentes, quibus etiam implendum vas per ſuos curavit, quia in aquam reſolutæ multorum donorum futurum ſint inſtrumentum. Quendam prædictis pœnis hortatus fuit ad illas cum gaudio ſuſtinendas, promittens ſuum ſe tutelarem ei miſſurum auxiliatum. Alterum perſvaſum voluit omnino ſe occubiturum. Tertio imperavit quotidie profiteretur ſe credere, quod didiciſſet, usque ad vitam linquendam; ſingulos vero mos illi erat interrogare, quas pœnas ſufferre parati ſint pro tenendo articulo Spiritus S. incarnati? Quàndo denique ſuorum diſcipulorum duo capti fuere, dixit in præſentia non ſentire ſe impulſum inſpirationis divinæ, quo accedente paratus ſit in publicum proſilire, & in platea ante Cathedralem eccleſiam Mediolanenſem ad multitudinem concurſuram perorare de corporis animique neceſſitatibus oneribusque quibus premerentur

tur alii, dixit id omnino ſe factūrum & concitato populo tumultuare domum archiepiſcopalem invaſurum miniſtros, quin ipſum Archiepiſcopum ad liberandos ſocios occiſurum. Verum retentus metu a violentis auſibus fuga ſibi potius conſulendum duxit, tamen nihilo melior imo impœnitens ſuorum ſcelerum perſvaſit inter hæc non nemini ſuorum, occaſionem ſi nanciſceretur abjurandi, ficte abjuraret, retinendo conſtanter data ſibi dogmata peccati immunem fore. Fuga demum elapſus in civitate nominata in proceſſu non erubuit quædam ſuorum dogmatum recenſitorum propalare, & quod amplius eſt, docere peccata occulta in confeſſione ſacramentali revelanda non eſſe. Quibus ita ſtantibus judicatum fuit, Jo. Fr. Burrhum fugitivum uti contumacem damnandum eſſe. Citatus itaque fuit 20. Martii 1659. ad comparendum infra 90. dies & purgangandum ſe de objectis ſub pœna excommunicationis, ni pareat ipſo facto incurrente. Verum ſpretis omnibus, quantumvis oblato illo libero commeatu, & diſcurſis tandem quatuor terminis conſvetis citatus legitime fuit ad audiendam ſententiam excommunicationis majoris incurſæ, cujus decla-

declaratio Romæ & Mediolani affixa : ſed illo ad omnia obdurato, & ultra annum in cenſuris ſordeſcente, 2. demum Octobr. anno 1660. iterum citatus fuit ad audiendam in hac Eccleſia B. Virginis ſuper Minervam intra 90. dies alios ſententiam definitivam quæ ſequitur : Invocato S. S. nomine Jeſu Nos N. N. hujus ſupremæ & univerſalis inquiſitionis Cardinales in cauſa vertente inter Petrum Seriſtam Principem Fiſcalem noſtrum ex una parte, & Joſ. Fr. Burrhum inquiſitum proceſſatum contumacem & excommunicatum cauſa fidei & errorum, ex altera parte, pro tribunali ſedentes ex conſilio & ſententia Patrum conſultorum hujus univerſalis inquiſitionis dicimus, pronunciamus, Joſ. Fr. Burrhum prædictas ob cauſas, ut hæreticum puniendum eſſe cenſuras tam generales quam particulares incurriſſe, ideoque illum omni honore & prærogativa privamus, foro Eccleſiaſtico & S. Matre Eccleſia, cujus miſericordia ſe indignum præbuit, expellimus, atque ad deteſtandum illius delictum effigiem ejus Cardinali Progubernatori vel ipſius locum tenenti criminaliter tradimus ad pœnarum debitarum executionem : Præcipimus etiam omnia illius ſcripta hæreti-

ca comburenda eſſe omnia bona mobilia & immobilia confiſcanda & applicanda, vetantes ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quis cum illo tractet, recipiat, juvet & mandantes omnibus Patriarchis primatibus ut ipſum Burrhum arreſtent vel arreſtandum curent, teneant, certiores nos faciant, ut ſtatuamus quid ipſi faciendum, relaxantes ut non ſolum magiſtratus ſecularis ſed quilibet qui poſſit & velit in favorem fidei noſtræ ipſum capiat & teneat, ita dicimus, declaramus &c.

N. N. Cardinalis Barberinus.

N. N.

N. N.

Ex-

Excerpta ex Litteris
P. Athanaſii Kircherii datis Romæ 29. Jan. 1661.

BUrrhus impoſtor & hæreſiarcha peſſimus hic Romæ 2. Jan. in publico theatro hæreſium inauditarum convictus rogo condemnatus fuit, & cum abſens eſſet, ejus ſtatua in acie campi Floræ primo per carnificem in patibulo ſuſpenſa, deinde in rogum conjecta fuit; aliud porro non occurrit.

VII.

TABULÆ DONATIONIS,

QVIBVS

P. D. HVETIVS

EPISCOPVS QVONDAM ABRINCENSIS, SVAM BIBLIOTHECAM JESVITARVM DOMVI PROFESSÆ PARISIENSI ADDIXIT.

ACTES (*) DE LA DONATION

QVE M. L'EVEQVE D'AVRANCHES a faite de ſa Bibliotheque à la Maiſon Profeſſe des Reverends Peres Jeſuites de Paris.

PAR devant Nous Conſeillers du Roy, Notaires Gardenotes au Châtelet de Paris ſouſſignés, Fut preſent Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Seigneur Meſſire Pierre

(*) Beſſarionis, Patriarchæ Conſtantiopolitani & Cardinalis Tuſculani, Epiſtolam ad Principem Senatumque Venetorum miſſam A. 1469. qua Bibliothecam ſuam omnis generis libris inſtructiſſimam eidem

Pierre Daniel Huet, nommé par le Roy à l'Evêché d'Avranches, demeurant à Paris, fauxbourg ſaint Jacques, cui-de-ſac ſaint Dominique, Paroiſſe ſaint Jacques du Haut-pas, lequel a par ces preſentes donné par donation entre vifs irrevocable, & en la meilleure forme que faire ſe peut, & que donation peut valoir, à la Maiſon Profeſſe des Reverends Peres Jeſuites de cette Ville de Paris, ſize ruë ſaint Antoine, & acce-

dem Senatui detulit ac donavit, dignam olim cenſuit Melch. Haiminsfeldius Goldaſtus, quam cum Richardi de Buri Philobiblio Centuriæ Epiſtolarum Philologicarum ſubjungeret. Eandem quoque Venerabilis Abbas Jo. Andreas Schmidius in prima acceſſione Collectionis Maderianæ de Bibliothecis p. 67. ſqq. recudi curavit. Horum igitur Præſtantiſſimorum Virorum exemplum ſecutus heic exhibeo Tabulas donationis, quibus Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus P. D. Huetius Bibliothecam ſuam Pariſienſi Jeſuitarum Collegio, quod Domus Profeſſa appellatur, tum vivus adhuc ſpiransque addixit. Impreſſæ quidem eæ ſunt annis abhinc triginta, & quod excurrit, Lutetiæ Pariſiorum in forma octuplici, ſed inter paucos diſtributæ, atque adeo inventu difficillimæ. Neque enim Huetianis, nec Commentariis de rebus ad Huetium pertinentibus inſertæ conſpiciuntur. Parum vero abeſt, quin ex his Virum Summum, ac de literis immortaliter alias meritum inter Bibliotaphos referendum eſſe judicem, cùm tam ſollicite caverit, ne vel unicus liber extra iſtud, quo ejus Bibliotheca adſervatur, ſacrarium aliorum commodis concederetur, ut adeo ejus uſus ad pauciſſimos ſe extendat.

ptant pour icelle par R. P. Iſaac Magnan, Prêtre de la Compagnie de JESUS, comme Procureur de R. P. Loüis Genevray, auſſi Prêtre de la Compagnie de JESUS, Provincial de ladite Compagnie en la Province de France, de luy fondé de procuration generales pour toutes les affaires de ladite Province, paſſée devant Thibert, l'un des Notaires ſouſſignés, & ſon Confrere, le deuxiéme Mars dernier, & par R. P. J. de Grieu Prêtre Religieux de la méme Compagnie, Superieur de ladite Maiſon, leſdits R. R. P. P. de Grieu & Magnan y demeurans à ce preſens & acceptans pour ladite Maiſon Profeſſe, la Bibliotheque dudit Seigneur Evêque d'Avranches, compoſée de pluſieurs livres contenus au Catalogue & inventaire d'iceux, contenant cent feuillets, qui eſt demeuré joint à la minute des preſentes, aprés avoir été paraphé dudit Seigneur Evêque, deſdits R. R. P. P. de Grieu & Magnan, & deſdits Notaires ſouſſignez, à leur requiſition ; & generalement tous les livres qui appartien dront audit Seigneur Evêque au jour de ſon decez, en quelque lieu qu'ils ſe trouvent: méme les manuſcrits & écritures, qui ſe trouveront auſſi aprés le decez dudit Seigneur

gneur Evêque, ſoit en pacquets, ou dans des porte-feüilles, ſur leſquels ſe trouvera écrit en abregé de la main dudit Seigneur Evêque, & ſigné de luy, *Pour la Maiſon Profeſſe des Ieſuites de Paris.* Le tout à l'exception des livres doubles, qui ſe trouveront dans ladite Bibliotheque, leſquels pour être reputez tels, faudra qu'ils ſoient imprimés au méme lieu, par le méme Imprimeur, de la meſme impreſſion, & en la meſme année. Deſquels livres doubles ledit Seigneur Evêque fournira un état ſigné de luy dans ſix mois prochains, pour être auſſi joints à la minute des preſentes: leſquels livres doubles ne ſont compris en la preſente donation. Pour par leſdits R. R. P. P. Jeſuites Joüir de ladite Bibliotheque, ainſi qu'il ſera cy-aprés dit: ſe deſaiſiſſant dés à preſent ledit Seigneur Evêque de la proprieté de tous leſdits livres au profit de ladite Maiſon: voulant iceluy Seigneur Evêque que du jour de ſon decez, ladite Maiſon ſon ſoit ſaiſie & miſe en poſſeſſion de tous leſdits livres, en quelques lieux qu'ils ſe trouvent. Cette donation faite à la charge de la joüiſſance deſdits livres, que ledit Seigneur Evêque ſe reſerve pendant ſa vie; ſe conſtituant les tenir dés à preſent à tiltre de precaire;

ſans que ledit Seigneur Evêque puiſſe vendre ny engager aucuns deſdits livres, mais pourra en échanger, & en ſubſtituer d'autres de pareille valeur. A l'effet ne quoy ledit Seigneur fera un memoiré de ceux qu'il aura ſubſtituez en la place de ceux qu'il tirera de ladite Bibliotheque, ainſi que de ceux qu'il acquerra. Le double duquel memoire ſigné de luy, il envoira au Superieur de ladite Maiſon Profeſſe, pour être joint à la minute tous les ans. Icelle donation faite à la charge que leſdits R. R. P. P. Jeſuites ne pouront vendre, engager ny autrement diſpoſer deſdits livres pour quelque pretexte, & pour quelque raiſon que ce ſoit, ny meme les prêter aux Religieux des autres Maiſons de ladite Sociéte, tant de cette Ville, que d'ailleurs: ny auſſi ſouffrir que les Religieux de ladite Maiſon Profeſſe les tirent de la ſalle où ſera ladite Bibliotheque, pour les porter dans leurs chambres ou ailleurs. Et pour conſerver plus reguliérement leſdits livres, leſdits R. R. P. P. Jeſuites ſeront obligez de les tenir en un corps de Bibliotheque ſeparé, ſans être meſſez, ny en tout, ny en partie, avec les autres livres de leur Maiſon: & à cét effet ils la placeront dans le fond de la ſalie

ſalie ou Gallerie qu'on bâtit preſentement, pour ſervir de lieu de Bibliotheque, & ils ſepareront la Bibliotheque dudit Seigneur Evêque de la leur par deux ſaillies de menuiſerie qui avanceront de demy-pied de châque coſté, depuis la corniche des tablettes juſqu'en bas. Comme auſſi leſdits R.R. P.P. Jeſuites ſeront tenus, auſſi-toſt qu'ils ſeront en poſſeſſion deſdits livres de les faire mettre dans des armoires fermantes à clef, garnies par devant de fil-d'archal, dont la clef demeurera au Superieur de ladite Maiſon, ou au Bibliothequaire qui ſera par luy choiſi. Sur la premiere page-imprimée de chacun deſquels livres ſera écrit, *Ex dono Petri Danielis Hues Epiſcopi Abrincenſis: nec extrà hanc Bibliothecam efferatur, ex obedientiâ.* Et il ne ſera loiſible au Superieur de ladite Maiſon Profeſſe, ny audit R. P. Provincial, de donner aucune permiſſion à ce contraire, dont leur conſcience demeurera chargée. Et afin que leſdites conditions, ſoient plus ponctuellement obſervées, leſdits R. R. P. P. Jeſuites promettent d'obtenir inceſſamment du R. P. General de leur Ordre l'approbation de ladite donation, laquelle portera défence de contrevenir à ce que

deſſus, ſur peine de déſo beiſſance. Et ſeront tenus leſdits R. R. P. P. Provinciaux de ladite province de France, lors qu'ils feront la viſite de ladite Maiſon, de viſiter ſpecialement ladite Bibliotheque, & de faire obſerver les choſes cydeſſus. Et pour faire connoître dans tous les ſiécles, que ladite Bibliotheque provient dudit Seigneur Evêque, leſdits P. P. Jeſuites promettent de faire graver ce qui ſuit en lettres d'or ſur une table de marbre noir, *Hanc Bibliothecam Domui Profeſſæ Pariſienſi Societatis JESU dono dedit Petrus Daniel Huet Epiſcopus Abrincenſis; eâ lege, ne quis unquam liber quamcumque ob cauſſam ex eâ diſtrahatur, commodetur, vel omninò extrà hunc locum efferatur. Sin ſecùs fiat, irritam eſſe donationem hanc, & hæredibus ſuis hæredúmve poſteris Bibliothecæ hujus repetendæ jus auctoritatémque eſſe voluit.* Laquelle table ſera placée dans le lieu où ſera ladite Bibliotheque, à l'endroit le plus apparent, afin que ladite inſcription puiſſe être leuë avec facilité par ceux qui verront ladite Bibliotheque. Et en cas que les heritiers dudit Seigneur Evéque trouvent quelques uns deſdits livres, ſur leſquels ſoit l'inſcription cy deſſus,

ſus, & qu'ils puiſſent prouver que leſdits R. R. P. P. Jeſuites les ayent prêtés, vendus, ou changés, ladite donation demeurera nulle. Et pour, ſi beſoin eſt, faire inſinuer icelle au Greffe dudit Châtelet de Paris, & ailleurs ou beſoin ſera, leſdits Seigneur Evêque, & R. R. P. P. Jeſuites conſtituent pour leur Procureur irrevocable le porteur des preſentes, auquel ils en donnent pouvoir, & d'en requerir tous Actes que beſoin ſera. Promettant, &c. obligeant &c. renonçant &c. Fait & paſſé à Paris, en l'Hôtel dudit Seigneur Evêque le 18. jour d'Avril 1691. aprés midy; & ont ſigné la minute des preſentes demeurés audit Thibert, l'un des Notaires ſouſſignez.

L'An 1691. le vendredy 4. jour de May, le preſent Contrat de donation a été apporté au Greffe du Châtelet de Paris, & y a été inſinué, accepté, & eu pour agreable, aux charges, clauſes, & conditions y appoſées, & ſelon le contenu en iceluy, par Maiſtre Salomon Pothoin, Procureur audit Châtelet de Paris, porteur dudit Contrat, & comme Procureur des parties y dé-

dénommées, lequel a été regiſtré au 172. volume des Inſinuations du Châtelet, ſuivant l'Ordonnance. Ce requerant ledit Pothoin, pour ſervir & valloir auxdites parties en temps & lieu ce que de raiſon. Ce fut fait au Châtelet le jour & an que deſſus. Signé Foſſe & Saulnier, avec paraphes.

LE vingt-uniémei jour de May, mil ſix cens quatre-vingt-quinze, ſont comparûs devant les Notaires ſouſſignez, ledit Seigneur Evêque d'Avranches d'une part, & Reverends Peres Guillaume Ayrault Prêtre, de la Compagnie de JESUS, & Superieur de ladite Maiſon Profeſſe, & François de la Roche auſſi Prêtre Religieux de ladite Compagnie, & Procureur de ladite Maiſon Profeſſe d'autre, leſquels en ajoûtant à la donation faite par ledit Seigneur Evêque d'Avranches à la Maiſon Profeſſe cy-devant écrite, ſont convenus de ce qui ſuit; ſçavoir que non ſeulement l'on ne poura point prêter, aux religieux des autres Maiſons de ladite Compagnie de JESUS les livres de la Bibliotheque donnée par ledit Seigneur Evêque d'Avranches

ches à ladite Maiſon Profeſſe, mais encore que l'onne poura les prêter à aucune autre perſonne; & auſſi que l'on ne ſouffrira point qu'aucune perſonne puiſſe tirer des livres de ladite Bibliotheque. Et en expliquant la condition portée par ladite donation concernant la diſtraction de ladite Bibliotheque, ledit Seigneur Evêque declare que ſon intention a toûjours été, & eſt encore, que ſes heritiers ne puiſſent demander ladite Bibliotheque, qu'en cas qu'ils puiſſent prouver que les livres aliénez, ou prêtez, s'il s'en trouve aucun, l'ayent été par l'ordre, ou du conſentement du Reverend Pere Superieur de ladite Maiſon Profeſſe, ou du Bibliothequaire de ladite Maiſon. Et pour ſatisfaire à ce qui eſt porté par ladite donation, ledit Pere Superieur à aporté la ratification d'icelle, faite par le trés R. P. Thyrſo Gonzalez General de ladite Compagnie de JESUS, datée de Rome, le quatorze Mars dernier, étant en ſuite de la copie de ladite Donation, laquelle a été jointe à ces preſentes aprés avoir été paraphée dudit Revereng Pere Superieur & des Notaires ſouſſignez. Fait & paſſé à Paris en ladite Maiſon Profeſſe, en l'appartement dudit Seigneur

Evê-

Evêque d'Avranches, & ont ainſi ſigné. P. Daniel Huet Evêque d'Avranches. G. Ayrault, de la Roche, avec Duſart & Thibert Notaires.

Enſuit la ratification dudit Reverend Pere-General.

THYRSUS GONZALEZ Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

RETrò ſcriptam donationem Bibliothecæ Domui Profeſſæ noſtræ Pariſienſi factam acceptamus, conditionéſque in eâ præſcriptas approbamus, & obſervari mandamus juxtà mentem Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Epiſcopi donatoris, & ejuſdem contractùs formam & tenorem. In quorum fidem &c. Romæ 14. Martij 1695. ſignati, Thyrſus Gonzalez. Et au deſſous eſt écrit : Provincialis Franciæ Pariſiis 18. April. 1691. Donatio Bibliothecæ Illuſtriſſimi Domini Petri Danielis Huet Epiſcopi Abrincenſis, facta Domui Profeſſæ Pariſienſi Societatis JEſu.

Lettre

LEttre entiéme jour d'Aouſt, audit an 1695. ſunt comparûs devant les Notaires ſouſſignez ledit Seigneur Pierre Daniel Huet, Evêque d'Avranches d'une part, & leſdits Reverends Peres Ayrault & de la Roche, Superieur & Procureur de ladite Maiſon Profeſſe d'autre, leſquels attendu la difficulté qu'il y a de placer ladite Bibliotheque donnée à ladite Maiſon Profeſſe, par la donation cy-devant écrite, dans la Gallerie de ladite Maiſon, de la maniere qu'il eſt marqué en ladite Donation, ſont convenus que ladite Bibliotheque ſera toûjours dans un lieu ſeparé de ladite Bibliotheque de ladite Maiſon Profeſſe, dans lequel lieu ſera mis à l'endroit le plus apparent une table de marbre noir, ſur laquelle ſera gravé en lettres d'or ce qui eſt marque en ladite Donation, ſans au ſurplus déroger ny innover à icelle. Promettant &c. s'obligeant &c. chacun endroit ſoi, &c. renonçant &c. Fait & paſſé à Paris, en l'appartement dudit Seigneur Evêque d'Avranches, ſiz en ladite Maiſon Profeſſe. Et ont ſigné, Pierre Daniel Huet Evéque d'Avranches. G. Ayrault, François de la Roche, avec Duſart & Thibert Notaires.

Les

LEs clauſes contenües dans les Actes cy-deſſus ont été executées. Et ſpecialement l'inſcription, *Ne extrà hanc Bibliothecam efferatur, ex obedientiâ*, a été ajoûtée à la premiere page de châcun des livres de ladite Bibliotheque, ſuivant la ſtipulation exprimée dans le préſent Contrat, & la ratification du Reverend Pere General.

VIII.

Epiſtolæ quædam ineditæ. (a)

I.

JANUS GRUTERUS MICH. PICCARTO S.

SAlve, Virorum Amiciſſime, & ignoſce infelicitati meæ, quæ nusquam non mihi adhæret. Noſti, quomodo me in autumno dimiſerant Elſevirii, fore ſcilicet, ut aut ipſi Leydæ Albergatum tuum excuderent, aut Francofurtenſi alicui committerent. Nunc poſt aliquot meas epiſtolas, quibus ſilentium ipſorum interpolare cupiebam, iſtud demum mihi chartæ una cum lucubrationibus tuis remittunt, & quidem nundinis jam omnino mortuis, adeo ut alteri cui ingerere non

(a) Has Epiſtolas cum pluribus aliis, in poſterum a me vulgandis, deſcripſit olim, cum Altorfii literis operam daret, ex autographis Bibliothecæ præſertim Georg. Matthiæ Kœnigii, mihique pro eo, quo me complectitur, favore conceſſit in hujus opellæ ornamentum Vir Conſultiſſimus atque Ampliſſimus, JO. DANIEL HAAKIUS, Jur. utr. Doctor, & Reip. Kauffburenſis Syndicus.

potuerim. Opus eſt apud me. Quid de eo fieri velis, fac ſciam. DEum teſtor, non ſtetiſſe per fidem meam, quin videret lucem publicam. Sed ſic nobiscum agunt typographi, ajunt, negant, promittunt, abnuunt; idque omne impune. Scio, neminem eſſe, qui liquidius teſtari poſſit de perfidia iſta, quam me, non ſemel ab eis falſum. Jam quadriennium eſt, quod me naſo ducunt Aubrii in edendo opere Hiſtoricorum Belgicorum omnium. Inveni rationem, qua Inſcriptiones recudi poſſent, quarta fere ſui parte auctiores, pretio florenorum trium; ſed neminem inveni, qui in ſe recipiat. Rhodius ſemel Catalogo titulum immiſerat, at, cum animadverteret, pauciores eſſe, a quibus ſuper illo libro compellaretur panegyri ſequente, rem omnem rejecit. Jam Cicero meus quartum annum laborat ſub incude talium hominum; adhuc cogor muſſare. Exemplo meo ſi te ſolaris, mi Piccarte, aliquid eſt. Sed quid? Verum venio ad Frawenburgerum tuum. Is apud me fuit per duas tres horas. Viſa Bibliotheca, unis alteriſque literis perſecutus ſum ad Argentinenſes, ad Baſileenſes. In ſumma feci, quod potui: ſed ille reperit, quod ſolet, pro

pro theſauro carbones; adeo nihil ejus fuit in me, quod animo conceperat. Manus jam mihi callent a cultu hortenſi, quem tamen nunc intermiſi aliquot dies propter continuos imbres, quibus & vitium flores miſere diſperduntur. Libens intellexi, ſpem factam diei natalis emortualisque Eraſmi noſtri Neuſtetteri. Mortualis peti poterat vel ex lapide ſepulcrali, ubi quoque forſitan additus annorum numerus, quot vixit. Si ſic, diem & adſequar. Modius in Elegia XIII. adſignat ei ſeptimam menſis Novembris. Indignatus ſum profecto, illum unum non comparere in Chronico Bucholceri, adeoque ipſo item deſtitui Chronicon Chronicorum Aubrianum. Quare & tibi & Domino Höflichio multos habeo agoque gratias. Verſus meos in Virum illum incomparabilem ſubmittam vobis, quando vultis, poëſεως quidem a floſculis inanes, ſed non etiam ab affectu. Poſthius enim piæ memoriæ totam de eo mihi Iliada ſæpe narrare ſolitus, cum interim Meliſſus ne verbulum quidem de ipſo, quod puderet ſcilicet tenuitatis tantæ, ut ab eo ſublevandus &c. noſti vitium ſolenne omnium ſeculorum. Quare ego, qui muſas &

Gratias amo propter ipſas tantum, effuſis quaſi quadrigis ivi in ipſius præconia, nec pœnitere poteſt: quamvis hodie carminificibus impingatur paſſim morbus mentis motæ. Miror verba tua ſuper epicedio Gentilis. Ut tibi aliquid negem? Imo impera quodvis & impetras. Certe jam nunc tibi illud impingerem (ſoleo enim meæ conſcientiæ ſtatim aliquid accinere, cum inaudii fatum amici ac docti alicujus) niſi feſtinarent exhibitores harum nobiles Holkii e Dania, jam biennium auditores mei, quos ſpero Noriberga electuros Gymnaſium veſtrum. Venator hic præceptorem agit in Schola *zum Kloſter*, ubi & commenſalem agit Gebhardus noſter, qui vellet omnia eſſe cito & tuto, quod natura hujus negavit cæteris: itaque jam inibi eſt, ut det operam Jurisprudentiæ, viſo, nullum poſitum a Patronis ſuis pretium Crepundiis atque Poëmatis. Et bene profecto facit. Nihil enim ineptius, quam velle quaſi nepotem agere in re non admodum pingui. Non enim Criticæ & Muſicæ vacent, niſi qui rem ſuam negligunt, quive adeo rem nunquam habere volunt. Cæteri lucroſas artes ſectentur, & abſtineant ab iſtis mihi delicatis, venu-

ſtis,

ſtis, gratioſis, qui alioquin ſunt ſuibus idem, quod Amaracus. Sed jam finiam, melius eſt, ne ſugillem ævum noſtrum nullo bono. Vale igitur ac ſalve, mi Piccarte, noriſque Gruterum famæ tuæ laudique faventiſſimum. Scrib. pridie Aſcenſionis CIↃ IↃ CXVII.

2.

Ad Excellentiſſimum Virum Dn. G. M. Königium Græc. Ling. ac Poëſ. Prof. Altdorf.

LUbet ne, Clariſſime Königi, Verſificationem audire?

> Νέςορα τῇ βιοτῇ προσελαυνῆς εἴποι᾿ ἔσαιο
> Ποῖος Γαζοφύλαξ τοῖος ὑγενοφύλαξ.

Evax! eſt DEus in nobis! Efferor ſuperbia facto poſt tot annos carmine regulari non ſecus ac qui oculo rubricam dirigit uno! Sed mittamus ludicra. Quantum antehac laudaveram eruditionem tuam, & paratam omnibus & omnium ſtudiis ſubſervituram induſtriam, Vir Clariſſime, tantum nunc admiror humanitatem, qua incitante aliis tuis curis tantiſper ſepoſitis,

me hominem ignotum tibi e vulgo eruditorum & quantivis pretii, tam benigne, tam humanis & ut ita dicam, byſſinis litteris appellare voluiſti. Ego, quod mendici ſtipe donati, repono; DEus Te ſervet! faciatque, ut congruentes ad mores tuos exacta ætate DEO & hominibus gratus & gratioſus in otio cum dignitate conſeneſcas & immortale tibi ac tuis poſt te nomen relinquas! id quod ego precor ex animo. Quæ de te Arnoldo affini tuo Viro optimo & te digniſſimo ſcripſi, haud muto: tuus ero quoad vivam, captus eruditione & probitate tua quam omnes litterarum tuarum apices ſpirant. Quod tu nuper ſcripſeras idem ego repeto, & meum facio: capior plurimum, Vir Clariſſime, Eruditorum ſocietate, viroſque doctos & qui aliquod in litteris nomen habent, impenſe amo & colo, ut prope Plautinum illud exclamem: Oh Regem me naſci oportuit! haberetis enimvero opes, honores, & ampliſſima creſcendi copia omnibus præberetur. Epitomen meam a te lectam id vero gaudeo ac triumpho. Quippe unicum ſcriptorum votum eſſe oportet, ab eruditis legi, & ſi placere non poſſim, vel inter mediocres

&

& communes haberi. Hæretici nomen in Epitome lectum ne te, quæſo offendat Vir Clariſſime, jam hæc vox apud nos prope aliud nihil quam nomen nudum, & appellationem neceſſariæ claritatis continet: univerſale omnium eorum nomen eſt, qui a noſtra fide ſunt alieni, niſi ſectarios dicamus, quod idem eſt: nam ſi Calvinianos dicam, Zuingliani non intelliguntur. Si dicam Zuinglianos, Ariani non ſunt nominati. Si uſitata omnibus voce Hæreticos dicam, omnes intelliguntur, qui noſtris dogmatis adverſantur. Quanquam quid Hæretici vox eſt, ſi cum Idololatria componatur, qua voce tertio quoque verbo nos appellant nonnulli? & eſſe credunt? Quoties Papiſtæ, quoties fatui, ſuperſtitioſi audimus? Joſephus Scaliger tantæ Vir eruditionis maledicentia ſeipſum ſuperavit: M. Antonium Delrio noſtrum, virum pereruditum & Philologum eximium, quibus non maledictis inceſſit? Non puduit appellare lutum Diaboli ſtercore maceratum, & alia hujusmodi quæ referre pudor eſt. Libellus hujusmodi appellationum plenus eſt, quas collegit & vulgavit tacito ſuo nomine Vir doctiſſimus ex noſtris Carolus Scribanius in argumentum

M 4 mode-

modeſtiæ Scaligerianiæ, & periculum furiarum inſcripſit. At, optime Königi, quos ego in opere illo meo Hæreticos præcipue appello? Taboritas videlicet Picardorum ſobolem ex ſanguine viperino quos ne vos quidem toleraveritis, qui belluas omnes immanitate ſuperarunt, qui, ut ait vetus Scriptor, Virtutes ipſas ſi cœlo deſcendiſſent, cupiiſſent occidere. Sed de his ſatis; redeamus ad noſtra, Miſcellanea mea formicino gradu prorepunt ad lucem; quatuor libri primum prodierunt, quintus & ſextus excudentur; ſi vitam longiorem conceſſerit DEus, numero laborum Herculem bis ſuperabo. At quod tibi venit in mentem, Clariſſime Königi, prohibere prætorio quaſi edicto, ne quid tibi ſine pretio ex libris meis mittatur, & tamen cupidum te videndi Miſcellanea mea ſignificas: atque ego regium illud reclamo: *non mî aurum poſco, non mî pretium dederitis; Ingenio opus eſt: non Te peto, piſcem peto*, clamabat gladiator. Tali exemplo (ne quid te accepiſſe dicas) Miſcellaneorum libros quatuor non tibi ſed Bibliothecæ tuæ dono; ſi nondum acquieſces, commutabimus noſtra, Arnoldo noſtro arbitro & medium ſe litibus noſtris offerente; mitte ergo vel pagellam unicam

cam abs te editam, & jam parva mecum feciſti. Magnitudo operis pretium ſola non facit, ſcitumque eſt illud Senecæ: *Plus patet unus dies eruditi, quam ſeculum imperiti.* De eruditis Bohemiæ viris inter Miſcellanea mea librum integrum leges, Deo dante, in quo etiam ago de Bibliothecis Bohemiæ; ſed jam converti non decet. Univerſum ſic habeto: Nullum eſſe ex Proceribus Regni (unico excepto) qui non Philoſophiam & Jura (pariter Humaniora ut vocamus) audierit, imo dicam officia regni omnia adminiſtrantur ab Eruditis; Nobilitas tota ex ſcholis prodiit, Latine loquuntur omnes: Præſes Appellationum Comes Franciſcus Khinsky maximam in Jure dicundo obtinet laudem, retulitque Lovanienſis Academiæ ante annos plurimos teſtimonium ſcriptum, poſſe eum cum laude de cathedra Jura docendo profiteri. Doctor Weingarten Appellationis Aſſeſſor edidit Jura Municipalia Bohemiæ diverſis quæſtionibus enodatis. Julius Henricus Baro de Blem itidem Aſſeſſor Appellationis Regis amicus meus & Jura callet, & omnem, ut ita dicam, Encyclopædiam; alii omnes in apellatione Doctores aut docti ſunt. Inter

Profeſſores Juris Academicos D. Joannes Schambogen Glacenſis eminet editis pluribus libris Juridicis celebratus, nec alii Profeſſores Juris quicquam illi concedunt, ut Doctor Funck, Rector Univerſitatis. D. Malanotte &c. In Medicis magnum nomen eſt conſecutus Nicolaus Franchimont, qui edidit complures de re Medica libros Facultatis illius Decanus, Profeſſores Celeberrimi ſunt: Jacobus Dobyzensky, in humanioribus diſcipulus meus Clariſſimus, & D. Leo Vir diſertiſſimus; prior Dobyzensky edidit de re Medica aliquot Tractatus, tum Joannis Marci Hyprocratis Bohemiæ poſthuma opera: excellit in Matheſi quoque & in Chimia, quibus de rebus edidit, & plures parat Tractatus. Præclari Theologiæ Doctores habentur apud nos, qui nunc docent, P. Guilielmus Dworsky & P. Joannes Brok, uterque ſcientiæ noſtræ Profeſſores. Matheſin docet P. Caſparus Knittel libris editis Orbi notus. Quis omnes enumeret? Rhetores, Poëtas, Hiſtoricos, Græcos prætereo, cum uno memorato, alii decem occurrant. Jam ad Græcum illud quod tu vocaſti ſtratagema, (*b*) quod ego

(*b*) In margine Epiſtolæ hæc verba appoſuit Balbinus: *Hoc meum inventum eſt, quod quatuor exceptis nulli communicavi.*

ego nec Patri meo, nec matri, ut eſt de Samſone, indicavi, ſed nunc vobis Arnoldo & Königio aperio. Favete linguis! Ante omnia ſcito, in hoc negotio plus eſſe jactantiæ quam ſcientiæ, luteam rem eſſe & plenam inanitatis: nonne legiſtis in Muſurgia Kircheri noſtri, inveniri poſſe rationem, qua is, qui nunquam Muſicen attigit, Symphonias concinnet, & modulos Muſicos conſtruere poſſit? Id fit per artificioſam exſcriptionem, tabularum quas ibi adduxit Kircherus; ego vero in inventione mea tabulis non egeo, ſed libris duobus tantummodo: Faciamus ante omnia codicem aliquem reperiri, qui omnes Græcas voces & vocabula ad verbum in ſuō caſu, genere, temporibus, numeris &c. Latine reddiderit. Tum alterum codicem habeamus, cujus adminiculo omnes eas voces Græce & Latine ſibi correſpondentes reperire poſſis. Primus ille liber rerum & verborum & omnium orationis partium (Grammatice loquor,) hic inquam liber aut libri potius, ſunt Regia Biblia quæ vocamus a Benedicto Aria Montano elaborata; is ex Hebræo Græca, ex Græco omnia vocabula Latine reddidit ad verbum ut dicere ſolemus, eodem numero, caſu, modo,

modo, tempore (Imo etiam aliorum Theologorum & verſionum libri exſtant, qui idem præſtiterunt, Hebræa aut Græca ad verbum in Latina vertentes) habentur autem Biblia regia & verſiones ejusmodi paſſim etiam in omnibus Bibliothecis. Alter codex eſſe debet ad manum, quem dicunt Concordantiam Bibliorum; in eo libro quæro nomen vel verbum Latinum, quod Græce volo reddere, & invento eo Regia Biblia conſulo, ibique Græcum illud ſubjectum voci Latinæ invenio, quod deſcribo; idem facio in ſecunda, tertia & quarta voce &c. nulla prope vox eſt, quæ in Sacris Bibliis non reperiatur; quod ſi non reperiatur, eſſet ejus Synonymum quærendum, & deſcribendum atque ita progrediendum: quod ſi quis vel mediocriter Græcæ Linguæ peritus ſit, mire adjuvabitur: poteritque non ſemel, ſed decies eoque amplius, eandem conſtructionem Græce reddere ex Latino. Fateor impropria quædam verba futura, regulas de accentibus & encliticis in periculum adduci &c. Ridebitis me Viri Clariſſimi, dentibus albis, ſed quid volumus? aliquid etiam dandum eſt inter ſeria voluptati, quæ ex inventionis rariſſimæ jactatione per-

percipitur. At tu, Clariſſime Königi, eas ineptias contemne! & quæ tibi ex penu divino memoriæ tuæ affluunt, deprome; ſucco ſcilicet tuo, non alieno vivis; ea tibi domi naſcuntur, quæ alii apud alios emendicant; tu ſufficis tibi. Jam, ni fallor, ad omnes Epiſtolæ tuæ partes reſpondi, atque etiam cum ita juſſeris, ineptivi. Divinitas te, Vir optime, incolumem quam diutiſſime conſervet bono ſtudiorum ad facem bonis litteris præferendam! Ego vero nihil apud me reliquum eſſe volo, quod amicitiæ tuæ conſecrare & donare recuſem. Scis illam ex voce Caroli M. Mindenſis urbis appellationem & originem (*Myn, dyn,* meum, tuum,) hanc nos in poſterum amicitiæ communis urbem incolemus; admittemus tamen plures eruditos in civitatem noſtram, & præcipue Arnoldum tuum, doctiſſimum Sturmium, diſertiſſimum Grævium & omnes Eruditionis ſine zelo cultores.

Vale Eruditiſſime & Clariſſime Domine!

Pragæ, ult. Mart. 1683.

Tuus Scripſi

BOHUSLAUS BALBINUS, S. J.

3. AD

3.
AD EUNDEM KOENIGIUM.

Vir Nobiliſſime, Ampliſſime atque Excellentiſſime,
Domine Præceptor ac Patrone æternum memorande!

TAndem aliquando faventibus Diis lætisque auſpiciis portus me Amſtelodamenſis excepit, poſtquam varias Germaniæ ſuperioris urbes & Academias perluſtravi. Sed & vetus mea in te obſervantia, Tuusque, quo me proſequeris, amor, requirunt, ut peracti hactenus itineris mei rationem tibi reddam, quidque hic illic obſervaverim, prolixius ſignificem. Lipſia relicta Dresdam veni, ibidemque præter inſanientium aulicorum vanitates nihil memoratu dignum obſervare potui; Spenerum tamen ſemel iterumque adii, cujus quidem viri pietatem cum eruditione junctam laudo, id vero non probo, quod de litteratis univerſaque litteratura, tanquam vano & inani ſtudio, haud bene ſentiat. Has ob rationes ex hac barbarie iter meum Wittebergam maturavi, ibidemque a Clariſſimo

riſſimo Schurzfleiſchio humaniſſime exceptus ſum, qui me eruditiſſimis ſuis ſermonibus fere per octiduum ſuſtinuit non ſolum, ſed & Bibliothecam ſuam rariſſimam certe & locupletiſſimam perluſtrandam mihi permiſit, in qua præter ingentem Græcorum auctorum numerum multos etiam libros inveni, manu doctorum virorum ad marginem illuſtratos, quos inter eminet Aratus, Joſephi Scaligeri manu illuſtratus & correctus, ex quo libro aliquot rariores obſervationes furtim excerpſi, & inter κειμήλια mea repoſui. Præterea etiam B. Stolbergii bibliothecam perluſtrandam mihi permiſit Clariſſimus Daſſovius, cui vidua Stolbergii nupſit. Deprehendi & in illa maximum Græcorum Scriptorum numerum; vidi etiam inibi Scapulæ Lexicon, ipſius B. Stolbergii manu innumeris locis locupletatum; modo deſideratur aliquis, qui ultimam quaſi manum operi imponat, & ita opus in ordinem redigat, ut editioni aptum reddatur. In Bibliotheca Academica Wittebergenſi præter tres codices Manuſcriptos Lycophronis, ſatis antiquos, nihil memoratu dignum inveni. Witteberga Magdeburgum & inde Helmſtadium curſum direxi; ubi ſingularem

plane

plane Meibomii erga me benevolentiam expertus ſum, qui per octiduum etiam ſecum me retinuit; & intra hoc tempus tum Bibliothecàm ſuam, tum etiam rariſſimum ſuum rei nummariæ theſaurum mihi aperuit, ex cujus viri diſcurſibus multa didici ad penitiorem rei nummariæ notitiam ſpectantia, quæ antea ignoravi. Sed & Calixti & Heigelii itemque Mejeri amicitia non parum mihi profuit. In bibliotheca publica inter alia vidi Manuſcriptos codices Livii, Virgilii, Ovidii & Perſii, qui tamen omnes non adeo antiqui ſunt; melior tamen eſt Codex MS. qui aliquot Chryſoſtomi Homilias Græcas continet; dum enim literis grandioribus ſine ulla vocum & periodorum diſtributione & absque ullis accentibus & Spiritibus exaratus eſt hic liber, ſatis credo antiquitatem ſuam probat. Relicta quoque hac Academia Brunſwigam, inde Guelferbytum veni, ubi celeberrimam illam bibliothecam, quantum quidem unius diei ſpatio fieri potuit, perluſtravi. MStos Codices, quos ibi deprehendi, hos annotavi. Prudentii Membranaceum, ſcriptùm anno 1442. Svetonii & Ruffi chartaceum. Quintiliani antiquum membranaceum, duos Virgilii,

quo-

quorum alter anno 1497. ſcriptus eſt, alter vero antiquior videtur. Lactantii Membranaceum MS. Philippi Melanchthonis in Epiſtolam ad Corinthios. Syneſii de interpretatione ſomniorum elegantiſſimum latine verſum a Marſilio Ficino & Corvino Hungariæ Regi oblatum, membran. Luciani ſermonum & dialogorum membr. Genealogia Turcica a Chriſto ad Oſmannum S. Arabice membr. Quatuor Evangeliſtæ Græc. membr. Gregorii Nazianzeni ſermones membr. Xenophontis Idea Ageſilai membr. Ἐρωτήματα Βραχεα τȣ̃ Χρυσολωρα membr. elegantiſſima Scholia Anonymi in Terentium, de quibus Conringius judicat, non eſſe contemnenda, quamvis ætate inferiora ſint Donati ſcholiis membr. Marſilii Ficini epiſtolæ, membr. Corvino oblatæ. Xenophontis Græc. membr. Quatuor Evangeliſtæ Syriace a Kirchero donatus codex ante annos 743. ſcriptus membr. Saluſtii membr. Hieron. Epiſtolæ, membr. Boccacius de Caſibus illuſtrium virorum cum elegantiſſimis Picturis ſcript. A. 1409. æſtimatum hoc eſt MS. trecentis Imperialibus. Juſtini membranaceus Codex de quo Conringius judicat: *hoc*, inquit, *Juſtini exemplum magni merito faciendum eſt,*

continet enim Epitomen quoque Operis & Præfationem Juſtini, quæ raro ſolent reperiri. Nemo elegantius Bongarſio & Freinshemio Juſtinum emendavit; hoc noſtrum tamen videtur loca nonnulla intacta aliis corrigere poſſe. Hamburgum delatus inter alia vidi etiam Biblioth. publicam in æde majori vulgo *auf dem Dom*, ubi MSta aſſervantur ſequentia: duo MSta Juvenalis membr. duo Virgilii membr. Gloſſæ ineditæ ad Lucanum membr. ad Ovidii Triſtia Gloſſæ membr. Ovidii faſtorum libri membr. duo Ovidii Metamorphoſeos membr. Commentarii in Priſcianum, Terentium & Prudentii Pſychomachiam membr. quatuor Lucani membr. Gualteri Alexandreis, cujus initium:

Geſta Ducis Macedum totum digeſta per orbem &c. membr. Scholia ad Ovidii Triſtia, membr. Manuale Auguſtini membr. Ibi quoque celeberrimi Ezardi amicitiam mihi conciliavi. Hamburgo quoque relicto Bremam perrexi, inde Emdam, Emda Groningam veni, quæ Academia hodie fere nulla eſt, nihilque relatu dignum ibi obſervavi. Franequerana vero Academia & docentium dexteritate & diſcentium, numero maxime floret. Satis laudare nequeo ſingularem plane benevolentiam & huma-

humanitatem, quam ibidem mihi exhibuit Nicolaus Blancardus Gr. Linguæ & Hiſtor. Prof. quicquid habuit rari in ſua Bibliotheca, hoc mihi liberaliſſime oſtendit. Multos ibi vidi libros manu Scaligeri, Heinſii, Salmaſii, Caſauboni, & Oiſelii notatos. Nunc ſub prelo eſt ejus Thomas Magiſter, quem cum undecim MStis contulit & notis illuſtravit. In iterata quoque Flori editione nunc operæ ſudant. Poſthac expectandus erit ab eo integer Thucydides in quo opere octodecim annos conſumſit, jam autem abſolutus & editioni deſtinatus eſt. Donavit mihi abeunti Panegyricum ſuum pro Jubilæo Academiæ Franequeranæ dictum, lectu certe digniſſimum. Nec minorem mihi benevolentiam exhibuit Jacobus Perizonius in eadem Academia Eloquent. & Hiſtor. Profeſſ. qui edidit Animadverſiones Hiſtoricas, nunc vero prodeunt ejus Diſſertationes de Prætorio contra Ulricum Huberum, ejusdem Academiæ Juriſconſultum celeberrimum. Prodibit quoque brevi ſingulare ejus opus de Monarchia Aſſyriorum, cujus operis rationem prolixe mihi narravit, inaudita hactenus fere omnia, ut mihi vero videtur, certiſſima omnia: in eo continentur opere. Veni quoque in intimio-

rem amicitiam Jacobi Rhenferdii Ebrææ Ling. Prof. qui brevi librum de præfectis & miniſtris Synagogæ editurus eſt. Habes hic, Vir excellentiſſime, brevem delineationem eorum, quæ hactenus egi. Nunc aliquandiu Amſtelodami commorabor & quid heic loci Muſæ agant, videbo. Poſt Ultrajectum & Lugdunum pergam. Aveo ſcire, quid apud vos rerum agatur. Doleo eheu! fatum B. Sauberti veſtri, quem diem obiiſſe, Helmſtadii audivi. Paria narrata mihi ſunt de Sagittario Jenenſium. Magnos certe in ambobus Patronos amiſi. Deus te mihi diu ſalvum & incolumem ſervet, Vir Excellentiſſime, ut habeant in patria mea Muſæ meæ, quo ſe ſolentur, & a quo vitam haurire queant. Vale!

Ampliſſimæ Tuæ Excellentiæ

devotus Cliens.

Amſtelod. d. 8. Julii.
1688.

ANDREAS CHRISTIANUS
ESCHENBACH.

4. Fœ-

4.

Fœminæ Clariſſimæ

HELENÆ SIBYLLÆ WAGENSEILIÆ

S. P. D.

Theodor. Janſon. ab Almeloveen.

VAriis per totum ſemeſtre & quod excurrit, jactatus morbis, illam quam orſum me ſcripſeram, non potui pertexere telam, h. e. abſolvere tibi deſtinatum Fœminarum eruditarum a me undique corraſas epiſtolas verſiculosque ineditos complectens opuſculum; in quod a te, Sibylla elegantiſſima, breve quidem, ſed ingenioſum ac molle, ita me Dii ament, confictum quum acciperem carmen, exultavi præ lætitia, quod viderem plus te mihi conceſſiſſe ultro, quam ſæpiusſcule rogaram clariſſimum tuum maritum Dominum Mollerum, amicorum meorum nulli ſecundum: vellet nimirum mecum communicare ea Epigrammata, quæ vel animo ſerio vel jocoſo pepigiſſes aliquando haud infeliciter, uti ex uno aut altero exemplo, quid videre olim mihi contigit, affirmare

poſſum ; atque hoc, ut verum fatear, eo ſcopo, ut edendis ſubjicerem, nomenque adderem ac honorem non parvum. Verum tua in me excellens humanitas & benevolentia eorum loco transmiſit gratulatorium, quod gratius non poſſes, Carmen: quod cum inter alias tibi ea Miſcellanea inſcribere conſtitui, iis an audeam præmittere hæreo dubius, in hoc morem geſturus conſiliis amicorum, quamquam longe malim id publico exhibere, quam intra privatos parietes ſervare, & tamen tuum ob hoc omittere nomen non putem conſultum. Sed amici & dies niſi potius tu ipſa me, quid fieri velis, epiſtolio docebis. Interea pro inſumpto labore, collatoque in me honore ingentes tibi ago gratias, acturus & ſemper. In recuperatam valetudinem meam quos lepidiſſimos politiſſimi ingenii Eliſa Kolartii, Poëtria Harlemenſis, hiſce diebus mihi miſit verſiculos non potui non tecum communicare, ut exinde etiam tibi cônſtet, me Muſas viventes æque ac mortuas colere, imo in oculis ferre. Utinam mihi copia fieret omnium poëmatum, quæ & tu, HELENA eruditiſſima, & illa, condidiſtis egregia, profecto quovis ære, quovis labore vellem mihi ea comparare. Mox

ac

ac impreſſa fuerint promiſſa illa Carmina atque epiſtolæ, curabo ad Te, Patronam digniſſimam, quam maturrime deferantur. Vale. Helena Clariſſima & me, quem limatiſſimis dignata es verſiculis, aliis, quæſo, in poſterum beato. Ego nunquam deſinam Mollerianum Wagenſeilianumque nomen celeberrimum meritis laudibus in cœlum pro virili evehere. Dabam Goudæ in Batavis. Anno 1696.

Ad Clariſſimum Virum
THEODORVM JANSONIVM
ab ALMELOVEEN.
De recuperata ejus ſanitate
Ode gratulatoria.

Nunc juvat lætis reſonare chordis
Vota dum ſolvit, vitulisque cæſis
ALMELOVEENVS pia thura fundit
Omnipotenti.
Ille, quem circum tenebroſa nuper
Mortis errabat facies, triumphis
Læta ſperatis, rabido ſolutus
dente reſurgit.
Surgit ut Phœbus vitreis ab undis
Mane, poſt noctem nebulis opertam
Pulchrior, mœſtum meliore cœlum
luce ſerenans.
Nunc piæ matris prope funeratum
Filium flentis fugiunt dolores:
Explicant frontem, redeunte amico
ſoſpite, amici;
Certa ſpes, ſalvo medico, ſalutis
Fulget ægrotis: Recipit ſodalem
Plauſibus tantis operoſa doctæ
Turba Minervæ.

Her-

Herculem quantis comites regreſſum
Ditis a furvis recepere regnis
Sive Lernæi capitum feracis
cuſpide monſtri.
Gaude Gaudanum decus, atque noſtri
Seculi Sydus, tibi quod precamur,
Adſit annorum ſeries, ſecunda
ſorte beata.
Dives, ut quondam, ingenium redundet
Priſca quod longa monumenta ſolvit
Nocte; clarorumque adimit virorum
Nomine letho.

ELISA KOLARTIA.

IX.

ELECTA EPISTOLICA. (a)

1. DUumviri noſtri, quorum mentionem injicis (*Carpzovius & Scherzerus*) reconciliati, continuant reciprocam inter ſe benevolentiam, magno quidem meo gaudio, nec habeo cur de perpetuitate dubitem. Utinam idem fieret in vicinia noſtra. *Alberti.*

2. Peto ut R. & Doctiſſimum Virum Dominum Danielem Caſtrenſium ex Inſula Pathmo, ſeu Palmoſa Hieromonachum Græcum & Monaſterii τῶν Ἰβήρων, ceu vocat Oeconomum, litteris teſtimonialibus a Patriarcha Conſtantinopolitano nec non Galliarum ac

(a) Frequentiſſimum cum Viris Celeberrimis aluit olim commercium literarium B. Theophilus Spizelius, magnum Auguſtæ ſuæ Decus. Plurimarum, ad eum ſcriptarum, epiſtolarum, quarum in Acceſſionibus ad Almelovenii Bibliothecam promiſſam & latentem p. 113. ſqq. meminit Rod. Mart. Meelführerus, autographa jam poſſidet Maxime Rever. Dominus RUPERTUS, Oraculorum divinorum in Eccleſia Auguſtana Interpres facundiſſimus, pietate & eruditione conſpicuus. Ex iis notabiliora in ſuos excerpere uſus, dum in patria ſua adhuc verſaretur, cœpit Optimus meus BRUKERUS, cui multum jam debeo, pluſque debebo in poſterum. Huic igitur Viro Eruditiſſimo hæc electa epiſtolica accepta ferenda ſunt.

ac magnæ Britanniæ Regum legatis in aula Ottomannica inſtructiſſimum benevole ac benigne tum in curia tum in eccleſia veſtra excipiatis. - - Haud ingratus is erit, ſcio, ob varia antiquiſſimorum PP. manuſcripta, queis monaſteria illorum ſcatent. Quid ex illis in veſtra ſuperet Bibliotheca coram indicabis facile. E re profecto fuit Bibliotheca tua εὐκαιρῶς tunc mihi transmiſſa, ut Sereniſſimi Archiducis Florentini, qui urbem & Bibliothecam noſtram inviſerat, Secretarium Dominum Apollonium Baſſetti edocerem de Manuſcriptis ex ipſorum theſauro in vulgum emiſſis, ceu impreſſos etiam Erneſtius ille Danus in Medicæa ſua jam dudum vulgarat. Denique quod Balthaſar Cordierius S. J. in Catalogo Manuſcriptorum Bibliothecæ Scorialenſis, quem Cyrilli homiliis in Jeremiam præfixit, in Hiſpania ipſe egerit, probe noſti. *Chriſt. Arnoldus.*

3. Judicium ut tibi communicem meum de continuatione Bibliothecæ univerſalis rogas? dicam ſane; nec comitatis certamen, quod te laceſſente ingredior, ultro deſeram. Res immenſi laboris eſt, quæ quidem a nobis in Germania cumprimis confici nequit. Deſunt enim bibliothecæ,

deſunt

deſunt Catalogi exterorum, neſcimus Codices Manuſcriptos, quorum vel ſola lemmata ab invidis ſupprimuntur. Præterea Judæorum, Syrorum, Arabum, Perſarum cimelia, manu exarata, quis novit? Operam ludimus tanquam mox perdituri. De cætero vetus illud haud ignoras, cui bono? *C. Arnoldus.*

4. Hornii Hiſtoria naturalis & civilis opus imberbe. *idem.*

5. L. Abbadie (deceptor ille Gallicanus) nuper cum Anna Maria Schurmannia & aliis (numerabantur triginta circiter) clam ſe ſubduxit, & multum æris alieni, ad pedes nempe apoſtolorum depoſiti, corraſum abſtulit ſecum. *Idem.*

6. Fuit Hackſpanius brevioris ſtaturæ facies roſas æmulata, oculi ſubridentes, frons auguſta quidem, ſed aperta, capilli in vertice diviſi, & poſt aures reflexi, barba mediocris, ſubruffa, & in acumen deſinens: Corpore præditus erat agili & per agros ac latifundia, fere quovis mane alacriter diſcurrente: Vir ſane jocoſus ac ſuavis, nec rigore carens Academico; diſciplinam enim cum ſceptra teneret Academiæ, cuſtodivit diligentiſſime, licet Ilia Codro rumperentur. In docendo non minus perſpicuus

cuus erat, (teſtem me habes diſcipulum illius annorum quinque) quam fidelis - - - Plura inedita adhuc ipſe poſſideo: Loca ſcilicet aliquot Theologica, in diverſis Collegiis, ceu vocant, privatis a me calamo excepta, juxta ſententias Rabbinorum imprimis & Targumiſtarum - - Loci ejus Theologici ſtatim poſt mortem publico duorum ſtudioſorum quorum nec nomina nos latent furto ſubtracta ſunt. Theologia Rabbinica typis quidem cœpta exſcribi, haud tamen abſoluta fuit. *Idem.*

7. Ipſe Sereniſſimus Princeps Rudolphus, Dux ac Dominus Brunſvicenſis ſententiam hanc, annum expugnatæ Brunopoleos exhibentem obſervavit, quoad ſenſum verborum (ut me docuit Acad. Jul. Profeſſor) ex I. Maccab. XV. 33. 34. VenDICata eſt a nobIs, Vrbs non aLIena, ſeD patrIbVs noſtrIs & nobIs Detenta. *Idem.*

8. Prædixiſſe memini Hackſpanium: Futuros eſſe vel tandem, qui textum Ebraicum prorſus ſint reformaturi. Id ipſum poſtea tentare auſus eſt Iſaacus Voſſius in ſuo de LXX. Interpretibus libro: Quod olim vel ante eum Sgambatus, qui teſte L. Allatio in apibus Urbanis emendare textum

tum Ebraicum ſuſtinuit, & ea de re cum Pont. Max contulit. *Idem.*

9. Sæpius quoque audivi dicentem: Multas Scholaſticorum & miras diſtinctiones ex ignorantia linguæ Ebrææ fuiſſe ortas, quæ prorſus concidunt, ſi textus origines penitius intueamur. *Idem.*

10. Divino favore in re tam ardua atque proprii ingenii ſummo opus eſt conamine. Secus ac illis placet, quibus inverecundum non eſt, aliena ſcripta nunc exſcribere, nunc mutilare, & ſic gratiam aliis debitam ad ſe rapere. Quo fit ut publicæ Muſarum ſedes inutili ſcriptorum pondere onerentur, quod quidem ad exenteranda marſupia accommodatius cenſueris, quam pectora ſolida eruditione imbuenda. Sufficit veteribus illis nova appenſa anſa, & ſcripturientis vulgi judicio recoctis ſæpius ſcriptis novus titulus, novaque methodus. *Thomas Bangius.*

11. Quareſmii dilucidationem Palæſtinæ non ſolum non vidi, ſed & ne nomine quidem apud nos (Jenenſes) eſt nota, niſi quod illam Boſius citat in introductione generali in notitiam Rerumpublicarum orbis univerſi tractatu præclaro noviſſimeque edito. Bibliotheca tamen ejus non habet

habet hunc librum. *Matth. Frid. Beckius.* N. N. Homo pius & ſtudioſiſſimus &c. &c. ſed a ſcholaſticorum ſubtilium magis quam utilium lectione, quæ ei a D. Muſæo ſvadebatur, præpeditus. *Idem.*

12. Codicem Manuſcriptum Erfurtenſem, quem in Muſæo Friſchmuthiano oculis uſurpaviſti Tuis, evolvi, dumque diverſam lectionem accentuum cum laudato Domino Friſchmuthio & converſo Judæo Zarvoſſio, perſcrutor, ecce ingerit ſeſe oculis noſtris Targum in libros Paralipomenων, de quo nemo noſtrum aliquid inaudivit aut legit, utrum tu vel Velſchius noſtras de eo aliquid reſciveritis, proxima quæſo occaſione me edoceas. *Idem.*

13. Quod Schefferi Sveciam litteratam concernit, fatis præventus B. autor ſcriptis aliis non incelebris, ultimam eidem manum imponere non potuit, ut ſic in abortum potius degenerarit. *Nicol. Bergius.*

14. E Reformatis Heideggerus Tigurinus nuper Anatomiam inſtituens Concilii Tridentini præter Chemnitiana pauca fere habet de ſuis, ipſo etiam in præfatione (quantum memini) non diffitente. *Mich. Bohn.*

15. Do-

15. Dominus Lounojus (in ſcriptis notus) ſingulis hebdomadibus, quantum audio, conferentias, ut vocat, inſtituit publicas, ex quibus haud parum utilitatis mihi promitto. *Idem.*

16. In Schola Sorbonica aurum colligendum eſt ex ſcoriis, modo non ſcoriæ Scholaſticæ, tricæque & apinæ aurum omne abſorbeant in Sorbona. *Idem.*

17. Requiro inde a multo tempore *Fabiani Juſtiniani Indicem univerſalem Alphabeticum, in folio, a. 1612. Romæ, &* ni fallor, *Mediolani* quoque editum. Eum ſi impetrare te autore ac proxeneta liceret, majorem in modum hoc nomine tibi me recente beneficio plurimum eſſes devinctorus. Egoque illum quantocunque pretio redimere paratus ſum. Vidi pridem mecunque habui diu, commodato olim ſumtum. Eſt multæ bonæ frugis pleniſſimus liber, atque per etiam rarus. Scripſit idem autor libellum in 8. *de S. S. Scripturæ lectione uſu & interpretibus*, quem proclivius eſt aliunde comparare, *B. Boineburg.*

18. Cæterum Italia haud ita pridem ſubminiſtravit Epitomen Annalium Raynaldi (vid. præf.) non ſine maxima tamen indigna-

dignatione Nobb. Ord. Bav. Cancellarius (cum nuper ad me inviſiſſet) in opere iſto Ludov. IV. ſeu Bavari ex Imperatorum ſerie notavit excluſionem, tulitque ægerrime, quod Raynaldus nulla ſubnixus prorſus autoritate aſſerere non dubitaverit, a Carolo IV. Imp. leges Ludovici geſtaque omnia reſciſſa, ac propterea quod hæreſeos & ſchiſmatis crimine notatus eſſet, plane irrita fuiſſe pronuntiata; quin imo apprime mirabatur, ſummam Raynaldi impudentiam, quod Bzovii (idem plane de Ludov. Bavaro ſtatuentis) periculo non cautior ſit effectus, cum ſatis conſtet, illum maxime Elect. Bav. flagitante Romæ ad Palinodiam adactum, & ſpiſſo quodam volumine a J. G. Herwarto injuriarum poſtulatum fuiſſe, *qui ſcilicet* (ſic in fronte operis hujus legitur) *eundem D. memoriæ Imp. contra jus fasque* &c. &c. ut proinde timendum ſit Reynaldo idem plane fatum eandemque cum Bzovio ſubeundam aleam. *Spizel. ad Boineburg.*

19. Dicam & ingenue ac pace Italorum nec ſtudio adulandi. Nunc ſolidæ literæ ultra montes degunt, ubique ſervant priſcum nitorem. *Jo. Bornus. Veronæ.*

20. *In* Luthero *finde ich einen Göttlichen* Character *und Sendung, ſo in J. Arnd. Frid. Brekling.*

21. D. Morhofius Prof. Juris *zu Kiel* vir, cui DEus interiora velaminis *geoffenbahret hat, darff noch in ſeinem* Polyhiſtor *auftretten, und* Jac. Böhm *mit mir vertheydigen. Idem.*

22. Voſſius per me licet ut retineat ſuam ſententiam, me non habebit ὁμοψηφον, & hæc ejus ſententia magna ex parte innititur principiis Capellianæ Criticæ. *J. Buxtorf.*

23. Quod Abrahamus ille Echellenſis mavult de Codicum Ebraicorum integritate Capelli, quam noſtrum ſequi judicium, miror, nec indignor; antea ſcivi, plerosque Pontificios ambabus manibus illam Criticam amplexuros, & ea in rem ſuam uſuros. Ecchellenſis ille eſt homo futilis, nullius ſolidæ eruditionis in propria lingua, ne dum Hebraica, Thraſo glorioſus, vanus, adeoque improbus, uti eum depingunt editis ſcriptis Valerianus de Flavigny Doctor Sorbonicus, & Gabriel Sionita. Cum talibus litem inire, eſt cum muliere furioſa & impudica litigare. *Idem.*

24. Ego

24. Ego plus ſatis negotii reperio in ſolis libris Hebraicis, intra quorum fines ſubſiſto, vel ſaltem reliquarum linguarum Orientalium ſtudium, extra ſacras litteras extendere operioſius nec potui nec volui. *Idem.*

25. Quid de conſenſu eccleſiarum Orientalium in dogmaticis ſtatuendum ſit, ego non habeo dicere, qui pauciſſimos Chriſtianorum Orientalium libros vidi: quæ vidi, in illis deprehendi in nonnullis conſenſum cum noſtris eccleſiis, in aliis diſſenſum, & fermentum Pontificium redolentia. Neſcio etiam, cujus antiquitatis vel fidei ſint ſinguli. Animadverto enim ex verſionibus Biblicorum librorum, in quibusdam libris biblicis illos plerumque cum LXX. Interpretibus ſæpius quam cum textu Hebræo convenire. Non dubito ſi nimium de illorum conſenſu velimus gloriari, quin Ecchellenſis, & ejus ſimiles multum ſint nobis facturi negotii. Quantum illis tribuendum ſit fidei, etiam inde mihi ſuſpectum, quod a fide dignis acceperim, & qui illas regiones ex parte peragrarunt, incredibilis regnet ignorantia in rebus fidei. Fieri enim poteſt, ut Pontificii multum in illis regionibus invexerint

O 2 ſuper-

ſuperſtitionis. Sed hæc illis relinquo, qui & linguarum illarum & rerum Orientalium ſunt peritiores, D. Hottingerus hic regnat, & ſua tum peritia, tum diligentia, & indefatigabili φιλοπονίᾳ multum præſtare poſſet. *Idem.*

26. Illud deplorandum, in publicum non prodiiſſe Bohlii Concordantias Bibliorum Hebraicorum, ubi particulas ſolum miro ingenii acumine collegit, quæ in Buxtorfianis omiſſæ ſunt. Magnæ molis volumen. Certe jam nemini conſtat, ubi Manuſcriptum lateat. *J. Bened. Carpzovius.*

27. Iniiſſe rurſus amicitiam Scherzerum tecum cum gaudio cognovi, ſed cave, cave canem. Neſcio quid jam monſtri alat. Nam prohibet magiſtris habere Collegia Hebraica ex hoc fundamento, quod iſta Profeſſio non ad Philoſophiam pertineat, cum Facultas Philoſophica concedere noluerit ut ipſe crearetur Licentiatus Theologiæ.

His ex unguibus cognoſce hunc Leonem. *Id.* Plura in litteris ſequentibus de hac litis materia.

28. Nudius tertius faſciculum etiam litterarium accepi, cum gratiſſimis libellis Gaulmynum ipſa veritas (quæ rarior) commen-

mendat, Bangium mea exſpectatio & materia de Nephilinis, Schottanum novitas, & *Lecachtobh* elegantia. Hunc ſumme exoſculor. Stilus facillimus eſt, nec mirum cum pro pueris conſcriptus; res ipſa neceſſaria. Continet omnem doctrinam Judæorum, eorumque Theologiam, tanquam in compendio exhibet, non abſimilis Lutheri Catechiſmo quoad ſcribendi modum. Abendanam non excultior ſolum linguæ Latinæ notitia, verum methodi longe facilioris inventio commendat: ille certe, quoscunque vellem, tractatus rabbinicos, pretio intercedente, civitate Latina donaret, imperiali videlicet pro folio impreſſo numerato. *Idem.*

29. Saubertianam Commentariorum Rabbinicorum verſionem, quam miratus es, miratus ſum & ego, magis tamen ipſius ſeu impudentiam dicam, ſeu malitiam, ſeu ſtultitiam, & ne quid magis dicam. Ut primum vidi cum ſtupore, ut facile conjicere potes, legi titulum ſatis ſpecioſum, *Opus* vocat *Theologiæ, Philologiæ ac Philoſophiæ ſtudioſis apprime utile*, quod ipſe ſolus affirmat: neminem adhuc idem dicentem aut ſcribentem audivi. - - Dicta-Rabbinica, quæ crepat,

aut ex Buxtorfii florilegio deſumta ſunt, aut ex theſauro Hottingerii aut alibi compilata. *Idem.*

30. Quanta ſtudiorum peſtis ſit, ſi adoleſcentes primis academicæ vitæ annis amore Philologiæ abripiantur, ipſe magno meo cum malo ſum expertus, nec velim alios idem ſuo experiri. *Idem.*

31. Germanico, quod edidit ſcripto Steudnerum Cabbalam Judæorum utcunque exponiente patet virum eſſe in his litteris non proletarie verſatum, qui ſi Latine illud ſcribere maluiſſet, plus gloriæ meruiſſet. *Idem.*

32. Egregia Edzardi apud nos eſt fama, ſed præter inauguralem diſſertationem quam Roſtochii habuit exigui momenti, nihil unquam ab eo vidi. Sunt tamen plurimi, qui Buxtorfio non minorem velint, & verſatiſſimum judicent in omni litteratura Talmudica Rabbinicaque. Sæpius eum mihi a Davide de Lara laudatum memini. *Idem.*

33. Beckii verſionem ac notas in paraphraſin Chaldaicam prioris Paralipomenων probare nemo non eruditorum tenetur. *Idem.*

34. Scho-

34. Scholæ hodie plus decrementi quam incrementi capiunt, omine peſſimo, & certo rediturae iterum barbariei præſagio. Vetus eſt illud: Muſæ laudantur & algent; hodie & algent, & vix ac ne vix quidem laudantur. *Iſrael Clauderus.*

35. Baptiſtæ Mantuani opera edita habentur IV. Tomis Antwerpiæ, 1576. in 8. Sed titulus mentitur. Nec enim ibi ſunt edita, præter in fine Tomi I. III. & IV. dimidiam partem. Cætera prius fuerunt alibi (forte Coloniæ) excuſa: Poſt Francofurtenſes mutarunt titulos, ſcilicet primam & ultimam pagellas & tomum primum retinuerunt. Ex ſecundo fecerunt tertium, ex tertio ſecundum. Antwerpienſes autem multis additis, quæ nec olim in Aſcenſiana editione apparebant, ſed ni fallor Mantuæ poſt prodiere, ex primæ editionis ſ. Tomo fecerunt ſecundum. Ex ſecundo fecerunt tertium ex tertio primum. Et ſic una editio mutatis titulis ut dixi, ter prodiit. *Chriſt. Daumius.*

36. Bibliothecam univerſal. ſcio eſſe rem maximi arduique laboris multique temporis neque unius fere hominis. *Id.* Bernardi Geyſtenſis Palponiſtam olim a me editum meus Grævius cum membranis Trajectinis contulit,

tulit, variaſque ſubmiſit unde lacunas explere & multa emendare poſſum. *Idem.*

37. In Comenii obitum.

Orbis hic eſt pictus: nunquam pigmenta placebant,
Quid juvat in mundi degere veſtibulo?
Janua Comeni, tibi jam patet aurea linguæ
Angelicæ: cœlum, dum licet, ingredere.

* * * * * *
* * *

Quam bona verſura eſt! AMOS, nunc SOMA revertit
Ad terram: ad cœlum Spiritus unde venit.

* * *
* * * * * *

Vixit Comenius: non erro: Camenius: unum
Inde Camœnarum turba novena gemit.

J. Fabricius.

38. Fer-

38. Ferrarius is eſt, qui proluſiones & epiſtolas, duos quoque tractatus de re veſtiaria unumque de Lucernis Veterum & noviſſime Panegyricum ſcripſit, Regi Galliæ dicatum: Vir tanti ab Rege iſto æſtimatus, ut fere ſolus ac præter ordinem donum quingentorum Imperialium, aliis Viris doctis jam ſubtractum, accipiat, imo a Sereniſſima hac Republica, (Veneta) in tanto pretio habitus, ut ei pro Eloquentiæ profeſſione, qua Patavii defungitur, annuatim ſolvat ſtipendium bis mille ducatorum Venetorum. Et ſane, ſi ſcripta ejus (quæ forte jam habes) legeris, fateberis mecum, dignum eſſe illum, qui in Prytaneo, hoc eſt, tam bene alatur. *Idem.*

39. Neque ego, mihi crede, ſatis mirari poſſum, tantam in celeberrima hac urbe (Veneta) eſſe penuriam librorum præſtantiorum, niſi oculatus, non credidiſſem. In Italica lingua extant ſane egregia ſcripta: Sed quod Latina attinet, illa aut ſunt Commentarii nugaces aut tricæ Scholaſticorum obſcuriorum aut verſiones Græcorum autorum. Alibi, libros veteres excutiens incidi in librum quendam (ſi quid judicii in me eſt) optimum, eumque mihi ſtatim emi. Titulus hic eſt: *Synopſis*

veterum religioſorum rituum atque legum. Antonius Caracciolus, Cler. Reg. ex antiquitate eruit, notiſque ad ſui ordinis conſtitutiones comprehendit. Romæ. 1612. fol. Idem.

40. Quæris quid agant Clerici noſtri (Venetiis)? uno verbo: Nihil; otio indulgent, cuticulam curant, veneri dant operam, in theatris plus videas quam in Muſeis, atque illorum, qui veræ eruditioni invigilant, vix ſunt totidem, quod Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili. Hinc illa meliorum auctorum raritas ſive illa (ut ficum ficum appellem) barbaries. *Idem.*

41. Helena Cornelia Piſcopia, virgo Veneta ἑπταγλωττης eſſe perhibetur. Callens nimirum Hebraicam, Græcam Eruditam & Vulgarem, Latinam & Italicam; Gallicam & Hiſpanicam. Sane in omnibus hiſce nonnunquam ſpecimen aliquod edit, peritiaque canendi etiam excellit, uti ipſe nuper magno cum ſtupore audivi in præſentia Principis Germani, qui Philippi Sulzbacenſis, Marte Svecico Clari, frater eſt. *Idem.*

42. Si ſvavitatem illam oris (Ferrarii), ſenilem illam gravitatem, a ſuperbia alienam, illum denique actionis geſtuumque,

in

in quibus orationis anima conſiſtit, leporem pariter videre atque audire poſſes, diceres profecto juxta mecum: *O perfectum Oratorem.*

Propter ingruentem in Italia barbariem aureus Ferrarius noſter ſæpius ingemiſcit: imo hiſce diebus mihi dixit, lætari ſe, quoties inter auditores ſuos videat Germanos, hos enim ex iis aliquem percipere poſſe fructum, reliquos autem nempe Italos, ſæpe ne quidem intelligere ea, quæ propinantur. Idque tam verum eſt, quam quod veriſſimum. *Idem.*

43. Kircheri muſeum quidem perluſtravi, ſed colloquium ejus non adeo ambivi, quod non de aliis rebus quam novis, ſtatum magis quam rem litterariam attinentibus, diſcurrit. *Idem.*

44. Reiſeri Catalogus Manuſcriptorum Bibliothecæ Auguſtanæ in manus venit virorum Principum, Magni Etruriæ Ducis & Cardinalis Medicæi, ab iisque utroque probatus fuit pollice. *Idem.*

45. Tua quoque (*Spizelii*) ſcripta in Florentina Bibliotheca aſſervari, atque a Patrono non minus quam Bibliothecario inter optima cenſeri, oculatus teſtis ſum atque auritus. Mercurius ei (*Ferrario*) ut

os

os apertum eloquentiſſimumque, ita crumenam dedit clauſam. Præterea Italus eſt, aut magis Hiſpanus ſenex, qui omnes plus æquo ad rem ſunt attenti. *Idem.*

46. In D. Niemanni locum ſucceſſit Dominus L. Bajerus, Norimbergenſis D. Muſæi futurus gener, qui ſi DEus ſtudiis porro adſpiraverit, ejus ſpartam ſummo cum applauſu ornabit. Ebraicæ & Græcæ linguarum apprime gnarus, ita quoque Philoſophiæ adyta penetravit, ut adverſariis par eſſe poſſit, & eorum ſtrophas ſolvere. *Friſchmuth.*

47. Quæ de propaganda vera & ſincera pietate conſilia nonnulli eruditi & pio zelo flagrantes viri agitant, ejusmodi ſunt, ut nemo viri nominis Chriſtianus improbare queat. Dolui ſane tot retro annis, eos, qui pro umbone populum aliquando docere debent, non modo in ſcholis de vera pietate haud ita multum percipere, ſed etiam poſtmodum academica libertate tam turpiter abuti, ubi ſibi perſvadeant, parum referre, quomodocunque vivant, quoad extra officium ſint conſtituti. *Idem.*

X.

X.

Oratio in laudem Bartholomæi Bertlini Eccleſiaſtæ Memmingenſis conſcripta Anno 1563. (*a*)

PRincipio gratias ago Deo æterno patri Domini noſtri JEſu Chriſti, conditori & conſervatori rerum omnium, quod filium ſibi coæternum nobis miſit, & lucem Evangelii ſui tam clementer inter nos accendit, totoque pectore & ardentiſſ. votis oro, ne eam extingui ſinat, ſed immenſa miſericordia propter filium crucifixum & reſuſcitatum coetus Eccleſiaſticos, veram doctrinam ſonantes protegat, & nos Spiritu ſuo ſancto gubernet, ut ipſum non modo in hac vita ſed etiam in omni æternitate celebremus Amen.

No-

(*a*) Hanc orationem hactenus ineditam, inſerere placuit, quod memoriam Viri de Memminga mea optime meriti conſervet, ac quædam hiſtoriæ Eccleſiaſticæ patriæ capita illuſtret. Benevole eam mecum communicavit Vir Doctiſſimus mihique Amiciſſimus Jo. Jac. Laminitus, Miniſterii Candidatus digniſſimus. Cæterum de Bertlino conf. Mart. Cruſii Annales Suevic. ad an. 1551. & 1562. nec non Sleidanum, quamvis hujus locus jam non ſuccurrat.

Notum eſt vobis omnibus illud Græcorum Reverendi patres, fratresque in Domino chariſſimi; ὅπȣ τις ἀλγεῖ ἐκεῖσε, καὶ τὴν χεῖρ᾽ ἔχει.

Idem mihi nunc in hoc noſtro triſtiſſimo caſu uſu venire ſolet. Quocunque enim me vertam, quicquid vel verbis vel facto inſtituam, imago integerrimi viri paſtoris noſtri D. Bartholomæi aſſidue mihi ob oculos verſatur, & ingenti ejus deſiderio non ſolum propter nos, qui patre privati ſumus, ſed etiam propter orbitatem Eccleſiæ noſtræ afficior. Proinde ſtatui in hunc locum non quidem panegyricam laudationem, ſed brevem totius vitæ ſtudiorum & virtutum ejus commemorationem adferre. Primum, ut meo ipſius dolori non nihil indulgeam. Deinde ut manes præſtantiſſimi viri debita laude proſequar. Æquiſſimum enim eſt eos, qui vel de Republica, vel Eccleſia bene miriti ſunt, digna celebratione ornare. Poſtremo volui & vobis Collegæ humaniſſimi hac quamvis involuta oratione gratificari. Sic enim natura comparati ſumus, ut quos vivos ſummopere amavimus, eosdem vita defunctos libenter celebremus & ipſi & ab aliis quoque & candide celebrari audiamus.

Quam-

Quamobrem plane mihi perſuadeo, me breviter de re grata dicentem benigne, & attente a vobis auditum iri. Recitabo autem bona fide, hiſtoriam integram, ſumptam partim ex ſcriptis, partem ex ſermonibus ipſius. Ordiar autem, ſicut uſitatum eſt, hanc meam narrationem à patria & parentibus. Natum itaque eum 1497. accepimus honeſtis parentibus Bartholomæo Bertlino & Magdalena Krafftin, municipibus Oppidi Faucenſis, quod quidam conjecturas ſequuti Abuſiacum nominant, & ad radices & in ipſo quaſi ingreſſu, & faucibus Alpium ſitum eſt. Atque hanc paſtoris noſtri patriam celebrem reddidit. Clementiſſ. Imperator Maximilianus, qui cum ſæpenumero eò ventitare ſoleret, civesque omnes ſingulari benevolentia complecteretur, etiam patre D. Bartholomæi uſus eſt familiariſſime, eumque quia opificio Lanius erat, frequenter ad mactanda pro ſe & aulicis ſuis pecora adhibuit. Habet autem idem oppidum adjunctum Cœnobium & ſcholam, ad quam filius à parentibus miſſus prima latinæ linguæ rudimenta avide percepit. Inde ad noſtram ſcholam Memmingenſem venit, ubi pro ratione & conſuetudine illorum temporum victum

victum oſtiatim emendicando in exercitio latinæ linguæ & Grammatices gnaviter perrexit. Ac poſſem vel hodie, ſi velis ædes commonſtrare, in quibus nidulum ſuum habuit. Idem autem, quod in hac noſtra urbe fecit, etiam poſtea Lindavii factitaſſe dicitur. Cum autem & in patria & alibi quoque in hiſce puerilibus ſtudiis Ἡλικιώτας ſuos facile ſuperaret, & ſpes fieret parentibus fore, ut non citra fructum adoleſcens in bonis literis progrederetur, tenui admodum duorum florenorum videlicet Viatico inſtructus ab eis ad celeberrimam tum tem-
An. 1515. poris Academiam Erdphordienſem miſſus eſt. Nec ibi more quorundam, qui tantum libertatem iſtis in locis captant, tempus rem precioſiſſimam inutiliter collocando pravis ſodalitiis, & comeſſationibus conſumſit, ſed laudabiles, ut tunc erant tempora, in literis progreſſus fecit, ut primum honoris in Academia gradum qui à lauri bacca denominationem habet, conſequeretur. Cæterum hinc ingenii ipſius felicitas, & naturæ ſolertia colligenda eſt, cui in tantis tenebris & barbarie lucernula tamen aliqua purioris elegantiorisque literaturæ fulſit. Non ſolum autem ingenii promptitudine, ſed etiam morum hone-

honeſtate præſtabat. Quod cum ii, qui præ cæteris docti habebantur animadverterent, amore ſingulari juvenem proſequi cœperunt. Refloreſcentibus enim aliquo modo bonis literis, Heobani Heſſi Poëtæ celeberrimi auditor fuit. Inſuper etiam Micyllo, ſicut ipſum aliquoties referentem audivimus, uſus eſt familiariter. Eſſent quidem jam plura de ſtudiis juventutis dicenda, ſed properat oratio ad altiora. Domum igitur ex Academia reverſus, pro more tum temporis uſitato ſacris eſt initiatus, & in patriâ, aliquandiu ſacra illa Pontificia procuravit. Deinceps verò conſenſu & ſuffragio ſuorum Collegarum ad populum docendum, in Eccleſia Waltenhofenſi emiſſus eſt. Eodem tempore doctrina Evangelii, cui pontificii jam diu caliginem obduxerant, Luthero authore, in lucem proferri, & purgari cœpit. Scribebat is libros optimos, quos hic novus paſtor præter moram reliquorum Sacrificulorum diligentiſſime evolvebat, ad trutinam Propheticorum & Apoſtolicorum ſcriptorum, tanquàm ad Lydium ut dicitur, lapidem adhibebat, & pulchrè cum eis conſentire deprehendebat: nec non gregem ſibi commiſſum juxta hanc normam in verâ

fide & pietate inſtituebat. Quin, & in moribus multam à cæteris Baalitis degenerabat. Erant enim caſti, manſueti, placidi, quales ſunt in optimâ naturâ. Erat quidem illi animus maturè ſatis jugum pontificium abjicere, & ad nos transire: ſed aliud, ex alio objiciebatur impedimentum. Nunc ſeditio ruſticorum interveniebat, nunc infœlix Euchariſticum certamen, pium inſtitutum remorabatur, nunc inſana Anabaptiſtarum colluvies ancipitem eum reddebat, nunc cognati proprii, ſui emolumenti gratiâ, obganniebant. Nihilominùs tamen, ut antè dixi, errores in Eccleſiâ ſuâ, ſpargebat, nullos: ſed veritatem Evangelii, quam ex fontibus Iſraël, & libris D. Lutheri, aliorúmque doctorum virorum hauſerat, conſtanter populo proponebat. Sed ut Pontificiorum examen, rectè docentibus & pie in Chriſto viventibus ſemper infeſtum eſt, eóſque Vatiniano quodam odio proſequitur, qui illorum ſuperſtitiones, non ſequuntur, & per omnia, probant, cœpere nunc clam vellicare hominem, nonnunquàm palàm ipſius doctrinam, tanquàm erroneam, & hæreticam traducere, ita ut tandem res ad D. Chriſtophorum, Epiſcopum Auguſtanum, qui ex

ex Stadionum familiâ, originem ducebat, delata ſit, quaſi hæreſin in ipſius Epiſcopatu, paſtor Waltenhofenſis ſereret, & populum falſâ doctrinâ imbueret. Vocatur igitur, non ſemel ſed iterùm, atque iterùm, ad Epiſcopum. Ille nullius erroris vel hæreſeos ſibi conſcius, lubens ſe ſiſtit. Proponuntur ei accuſationes adverſariorum, qui ſperant ipſum capitis periculum incurſurum: ſed hi ſpe fruſtrantur, & ille ſententiam fert longe mitiorem. Cùm enim ſe intrepidè excuſaret, crimen hæreſeos à ſe derivaret, ſuámque doctrinam, authoritate S. Scripturæ muniret: præſul ut erat homo literatus, & propemodùm dixerim, occultus JEſu Chriſti diſcipulus, non minaciter, cum eo agere, nec ſilentium mandare, ſed duntaxat, ut quæ ſciret vera, cautiùs populo proponeret ſuadere. At diſplicebat his Harpyis Epiſcopi manſuetudo & clementia, quam cum in ejus perſona carpere non liceret, cœperunt hunc ſuum collegam, quem propter eruditam ſynceritatem amare debebant, magis odiſſe. Hoc enim plerique Pontificiorum cum Phariſæis commune habent, ut ſuæ gloriæ & lucri gratia non modo ipſi lucem Evangelicam clauſis oculis averſentur,

tur, ſed etiam alios ſecum in tenebris detinere ſtudeant. Cum ergo bonus hic paſtor noſter ſua quotidie pericula augeri videret, nec liberum ipſi eſſet divinam veritatem in tanta ſuſurronum & proditorum copia palam profiteri, tandem poſthabitis omnibus obſtaculis de ſolo mutando, & Babilone relinquenda conſilium iniit, memor mandati cœleſtis. Exite de illa populus meus ne participes ſitis delictorum ejus. Apo. 18. Dum autem hujusmodi cogitationes in animo ſuo verſaret, quo nam potiſſimum proficiſceretur, commodum non tamen ſine divina providentia Scholaſtica illi conditio in hac noſtra urbe offertur, ubi & adoleſcens nonnulla literarum fundamenta, ut ſupra commemoravi jecerat. Hanc functionem quamvis ætati ſuæ minus commodam ambabus manibus amplexus eſt. Noluit enim temere in cathedram proſilire, ſed prius ritibus Eccleſiæ noſtræ aſveſieri, ut poſtea & ipſe in ea omnia juxta præceptum Apoſtolicum εὐσχημόνως καὶ
1. Cor. 14. κατὰ τάξιν perageret. Reliquit igitur ſolum patrium, & venit in locum peregrinum, reliquit propinquos, & conceſſit ad alienos, reliquit honores mundi,
Anno 1542. & Chriſti ſtigmata ſuſcepit, reliquit

quit omnium rerum abundantiam, & paupertati ſeſe conſecravit, & ut breviter dicam omnia quæ hic mundus admiratur & ſuſpicit, veræ religioni poſthabuit. An non putas ipſum verè cum divo Paulo gloriari & dicere potuiſſe. Omnia damnum eſſe arbitror propter excellentiàm cognitionis Chriſti JEſu Domini mei &c. Phil. 3.

Cæterum hic Ludi magiſter non diu in ſchola detentus eſt, præſertim cum ætas ipſius & divinarum literarum cognitio ampliorem & minus moleſtam provinciam requireret. Proinde ab ampliſſimo Senatu noſtro Eccleſiæ Woringenſi; non ita procul hinc diſſitæ paſtor præficitur, cui doctrinæ ſanitate & honeſtate vitæ ita præluxit: ut omnibus piis ibidem eſſet acceptiſſimus. Armabat ſe tum temporis contra Status Imperii Imperator ipſe, cui bellum inferenti illi reſiſtebant. Pendente autem in æquilibrio victoria, mittitur Eccleſiaſtes noſter ad aliam quandam in agro Eccleſiam inſtituendam, cujus Magiſtratus-noſter Collationem, ut vocant, habet: Abbas autem quidam vicinus acerrimus Evangelii hoſtis, Politicam jurisdictionem obtinet. Adlubeſcit popello doctrina illis hactenus nunquam audita: Ab-
1543.
1546.

P 3 bas

bas vero crudeli furore incenditur, & miſſis lictoribus ſuis Concionatorem Evangelicum comprehendit, vincit, ligat, & in carcerem ſqualidum includit, incluſum alit ſordidiſſime usque ad diem quintum quo precibus, ac interceſſione Magiſtratus noſtri, aliorumque piorum, certis quibusdam conditionibus liber dimittitur. Recenſui jam aliquot certamina humaniſſimi Auditores, ex quibus pia conſtantia paſtoris noſtri colligenda eſt, ſed nondum omnia audiviſtis. Plura enim adhuc, & longe atrociora propter nomen Chriſti pericula ſubiit. Nam vincit in bello pars adverſa, & ut victoria natura inſolens eſt, oboritur perſequutio Chriſtianorum ſæviſſima, quæ multorum cordium cogitationes detexit, ac manifeſtavit. Nonnulli enim officio docendi Evangelii relicto aliis artibus minus periculoſis, magis vero quæſtuoſis ſtudebant, quidam Protheo mutabiliores nonnihil doctrinam conſuetam mitigabant, & ad Magnatum libidinem inflectebant, alii Chriſti jugum prorſus abjiciebant, & cum Pontificiis faciebant. Pauci Spiritu Dei confirmati in hac fœda ac miſera veræ Eccleſiæ facie profeſſionem Chriſtianam libere fatebantur, &

An. 1547.

An. 1548.

& corruptelis aperto ore reclamabant. Inter quos Reverendus paſtor noſter non fuit poſtremus. Etſi enim ob ſævitiam adverſariorum Eccleſiam ſuæ curæ commiſſam deſerere cogeretur: tamen munus prædicandi non abjecit, multo minus Eceboli mere confeſſionem mutavit & ad hoſtium caſtra tranſiit, ſed ex agro in urbem noſtram receptus frementibus inte- An. 1549.
rim adverſariis verbum veritatis toto triennio docuit conſtantiſſime & fide- An. 1550.
liſſime, donec tandem furor adverſariorum eo progrederetur, ut piis ac ſalutaribus Doctoribus non modo ſilen- An. 1551.
tium mandarent, ſed etiam urbibus dato jurejurando interdicerent expellerentque. Didicerant credo hoc artificium à Juliano Apoſtata, de quo Sozomenus hiſtoricus Eccleſiaſticus ſic ſcribit: Julianus clericos & Eccleſiarum præſules à Civitatibus ſubmovere feſtinabat, ſtudens, ut eorum abſentia paulatim Eccleſia, neque ſacrorum miniſtri nec qui docerent, vel qui miniſteriis participarentur, exiſterent, & per hoc longo tempore paterentur propriæ religionis oblivionem. Expulſio autem iſta hoc pacto fiebat. Comitia tum Imperii Auguſtæ Vindelicorum celebra- An. 1551.

bantur, quo & paſtor noſter unà cum aliis vocatur, ut coram Imperatore doctrinæ ſuæ rationem reddat. Non poſſum mihi hic temperare, quin piiſſimam uxoris ejus vocem commemorem, qua maritum abiturientem dimittebat. Non enim ut illa Saturi Confeſſoris uxor, ut apud Victorem legitur, maritum à Confeſſione lachrimis mulieribus retrahebat, ſed potius ad eam animabat, & cohortabatur, dicens: Vale dilectiſſime Conjunx, & cave, ne propter me & parvulos noſtros liberos veritatis patrocinium deſeras. Hac fœminea multo autem magis divina conſolatione corroboratus Auguſtam abit, coram Imperatoris Conſiliariis ad præſcriptum diem ac horam ſe ſiſtit, quæritur ab eis de genere doctrinæ ipſius, & ſolicitatur, ut Reformationem animas Interimentem ſuo ſuffragio approbet, & in poſterum ſuam Eccleſiam juxta hanc normam erudiat. At ille Evangelium JEſu Chriſti ſe hactenus docuiſſe nec poſſe ſe aliud doctrinæ genus diverſum, ab eo, ſalvâ conſcientiâ recipere reſpondet. Ob hanc piam & liberam Confeſſionem divino nomine invocato jurare cogitur, ſe neque urbem neque agrum noſtrum ampliùs ingreſſu-

Sabatho ante Bartholomæi 23. Auguſti.

greſſurum. Supplex autem petebat concedi ſibi bidui, aut tridui ſpatium, quo res ſuas priùs domi diſponeret, quàm in exilium iret: præſertim quia uxorem haberet jam partui vicinam. Id, non modo, ſancto viro negabatur, ſed inſuper etiam convicium audiebat; quaſi prolem ex illicito & meretricio concubinatu, genuiſſet: cùm tamen etiam in regno pontificio, caſtiſſime vixerit, & à vitio ſcortationis fuerit alieniſſimus. Juris-jurandi ergò religionem veritus ab urbe & agro noſtro dehinc abſtinet. Qua in re, quæſo ipſius tolerantiam, conſtantiam multasque alias virtutes quæ hic ſimul concurrunt, perpendite. Vir jam grandævus in exilium ire jubetur, quod quam miſerum ſit, norunt ii, qui experimento cognoverunt, relinquit conjugem gravidam, abjicit curam ſobolis, rerum familiarium rationem nullam habet, integri anni ſpacio incertis ſedibus vagatur, ferens nunc imbrem, nunc ſolem, nunc frigus, nunc æſtum, & omnia alia incommoda, quæ viatoribus evenire ſolent. Has omnes difficultates divino auxilio adjutus ſuperavit, & meditatione divini verbi lenivit, id quod vel hinc colligi poteſt, quia inter oberrandum Pſalmum Davidis 121.

cujus initium eſt, Levabo oculos meos in montem &c. dulciſſima explicatione illuſtravit, quam egomet unà cum multis aliis piis vidi, & ſummo animi deſiderio legi. Non dubito quin aſſiduè in animo ſuo volverit ſuaviſſimam promiſſionem Chriſti, quâ illis qui propter nomen ſuum uxores, filios, domûs relinquunt centupli reſtitutionem & vitæ æternæ hæreditatem pollicetur. Fuit & familiare ipſi dictum Cypriani conſolatione plenum: *Exul non eſt qui Chriſtum in mente habet, quia Domini eſt terra & plenitudo ejus.* Merito igitur ſi non in album martyrum eum retulerimus, at in confeſſorum numero propter tot pericula, locum non infimum tribuemus. Etſi vero in hac ſæviſſima tempeſtate humanitus portum nullum videre, neque finem calamitatum ullum ſperare potuit: tamen omnipotens pater, præter omnium hominum opinionem nubeculam, ut Athanaſius vocat, depulit, & aliquam ſerenitatem conceſſit. Nam poſtquam aliquandiu Auguſtæ in Xenodochio docuiſſet, vinculum juramenti ſolvitur, & ad nos in hanc urbem revertitur, à vere piis, ſummo cum gaudio & congratulatione excipitur, ad munus prædicandi redit. Chriſtum & ejus bene-

An. 1552.

beneficia ob oculos nobis pingit, ad fraternam charitatem hortatur, & ut paucis rem abſolvam, id unum dies noctesque ſedulo ſatagit, ut cives regni cœlorum nos faciat. Quo quidem in curriculo illud vel præcipuè commendandum mihi occurrit, quod piæ pacis & concordiæ fuit ſtudioſiſſimus, ad quam fovendam nos ſuos ſymmiſtas, ut meminiſtis, nunquam non hortatus eſt, & è contra veris gemitibus deploravit diſtractiones Eccleſiarum, quæ fiunt per eos, qui aut ingenii ſui oſtentandi cauſa, aut honorum & ambitionis ſtimulis exagitati, aut avaritiæ furiis impulſi movent certamina non neceſſaria, dogmata excogitant nova, ac mox quemvis non jurantem in verba magiſtri diris devovent, excommunicationis fulmine feriunt, pro cathedra damnant. Horum ille nihil ſimile, ſed controverſias ſumma animi manſuetudine conſopivit, ſedavit, diremit. Hujus igitur tanti, tamque pacifici viri opera, & miniſterio Eccleſia noſtra placida quiete per aliquot annos uſa eſt. Vixit enim à ſui exilii tempore per decennium, donec tandem vitæ ipſius inſtaret terminus, cujus præſagium in animo ſuo cum habuiſſe vere affirmare poſſumus. Nam paulo antequam

in

in morbum letalem incidiſſet, Conciones aliquot publicas de præparatione ad mortem habuit, in quibus populum ſerio hortabatur, ut quicquid à Domino DEO immitteretur, fortiter ferat, nec jugum Chriſti, etſiamſi ducat ad mortem excutiat. Hanc cygneam cantionem populo præcinens, etiam ſibi ipſi cecinit, ſeque ea ad mortem, quæ paulo poſt ſubſequuta eſt ita inſtruxit, ut magno animo illam adiret. Corripitur ergo ejusmodi morbo, unde nulla recuperandæ valetudinis ſpes ſupere-
An. 1561. rat, decumbit per octiduum, graviſſimos corporis cruciatus absque omni fremitu & indignatione fert, ſeipſum exercitio verbi Dei ſubinde conſolando. Sæpe enim filio, qui ipſi ægroto miniſtrabat, ſelectiora S. Scripturæ dicta recitanda proponebat, quibus ipſe piam enarrationem addebat. Nec vero excidiſſe vobis arbitror, quoties nos illis diebus ad invocationem invitaverit, cui ipſe ſuos gemitus, & vota pro Eccleſia, pro ſe ipſo, & pro orphanis ſuis ſemper miſcebat. Cum autem octava demum die, quæ erat Stephani protomartyris, naturam vi morbi ſuperatam ſentiret, & vox jam nunc ipſum deficeret, poſtulata charta vacillanti quamvis dextra quaſi te-

ſtamen-

ſtamentum exarabat, cujus duo ſunt capita, primo enim orphanos ſuos nobis inprimis, deinde omnibus piis commendat, rogáns, ut eos poſt obitum ſuum in vera religione & pietate curemus educari. Secundo ſui teſtamenti capite fidei ſui confeſſionem repetit, in eaque ſe ad tribunal JEſu Chriſti venturum adfirmat. Paucis poſt horis ſpiritu ſuo in manus cœleſtis patris commendato placide obdormit, annos natus 65. menſes duos cum totidem diebus. Dignum etiam memoria eſt, quod retulerunt nobis ii, qui morienti adſtiterunt. Teſtantur enim illum in extremo agone, & in ipſo vitæ exitu, dextram aliquo modo in altum ſublevaſſe. Quo geſtu procul dubio ſignificare voluit, ſe cum Divo Stephano videre gloriam Dei & JEſum ſtantem à dextris Dei, qui finem jam dolorum ſuorum ſit facturus, & ipſum ex hac miſera ac ærumnoſa peregrinatione in cœleſtem patriam ſuſcepturus. Proinde ſine dubio anima ipſius æterno jam fruitur gaudio. Juxta dictum Apocal. 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Corpus vero poſtero die, quo Johannis Apoſtoli memoria celebratur, honorifice multo cum luctu & lachrymis totius Eccleſiæ, ſicuti ſcitis omnes,

ſe-

ſepulchro commiſſum eſt, ubi glorioſam Salvatoris apparitionem, & reſuſcitationem exſpectat, ut fiat *σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης Ἰησοῦ Χριστοῦ*, ſicut Paulus loquitur. Audiviſtis breviter Reverendi viri fratresque in Chriſto dilecti, curſum totius vitæ optimi viri Bartholomæi paſtoris noſtri vigilantiſſimi. Qui cum fruatur dulciſſimo conſpectu & conſuetudine DEI, Filii ejus Domini noſtri JEſu Chriſti, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum adeoque omnium, qui à condito mundo ex hac vita diſceſſerunt, electorum, ipſi quidem gratulamur tam fœlicem migrationem, ſed noſtra cauſa dolemus. Nos enim magno ornamento privati ſumus. Verum cum divinæ voluntati reſiſtere nefas ſit, nos memores ejus teſtamenti orphanos commendatos nobis habeamus, & patris mores, pietatem, ſtudia, Vigilantiam, patientiam, inprimis vero amorem piæ concordiæ imitemur, quem cum ipſo inter nos hactenus multis annis ſua authoritate retinuerit, quæſo, ne inteſtinis rixis rumpamus, ſed inviolatum ad poſteros conſervemus. Quo officio, nullum vel illi emortuo gratius, vel Eccleſiæ utilius fecerimus.

Dixi.

XI.

XI.
DISSERTATIONIS
DE
LIBRIS RARIORIBUS CONTINUATIO.

IN ſecunda noſtræ opellæ parte p. 321. ff. extat diſſertatio de libris rarioribus variiſque raritatis eorum cauſis : ſed tenue duntaxat ſpecimen nos ibi exhibituros eſſe profeſſi ſumus, ſenſim ſenſimque adaugendum ; quo minus mirandum eſt, multa ab aliis ei adjici poſſe, ſicuti & nos haud pauca, ab aliis, qui idem argumentum tractarunt, omiſſa annotavimus. In Memorabilibus quoque Bibliothecæ Perilluſtris Domini RAYMVNDI DE KRAFFT cum rariores & præſtantiores editiones Biblicas (*a*), tum libros chartæ pergamenæ impreſſos (*b*), nec non opera ab artis typographicæ primordiis ad annum usque CIƆ IƆ. typis exſcripta (*c*), & alia rarius obvia (*d*), quæ

(*a*) Amœnit. lit. Tom. III. p. 24. ſqq.
(*b*) l. c. p. 119.
(*c*) p. 121. ſqq.
(*d*) p. 144. ſqq.

quæ in iſto theſauro adſervantur, enarravimus. Nunc jucundum hoc, nec minus utile, argumentum continuatum dabimus, obſervatis, ſicubi nobis cognitæ fuerint, raritatis cauſis, de ordine non adeo ſolliciti.

1. Libros omnium rariſſimos eſſe eos, qui primis typographicæ artis rudimentis annumerandi veniunt, in confeſſo eſt. Eorum quosdam alibi jam recenſuimus (*e*). Nunc addimus, aliquot etiam ornare Auguſtam Bibliothecam Guelpherbytanam, quæ præterea omnis generis cimeliis literariis inſtructiſſima eſt. Eleganter, uti ſolet, de iis diſſeruit Janus Gregorius Betulius, vel potius Celeberrimus Burkardus in Epiſtola, qua C. H. E. D. Relationem de Itinere ſuo Anglico & Batavo examinavit, p. 69. ſqq. Ibi inter hujus generis libros retulit etiam unum, Auguſtæ Vindelicorum excuſum, cujus inſcriptio hæc eſt: *Das nach geſchrieben Buch von der Hand hatt zu Teutſch gemacht Doctor Hartlieb durch Bett und Heiſſung der durchleichtigen hochgebohrnen Furſtin Frow Anna gebohren von Praunſchweigg Gemahel dem tugentreichen hoch-*

(*e*) Tom. I. p. 1. II. p. 327. IV. p. 293.

gelopten Furſten Hertzog Albrecht Hertzog zu Bairen und Graff zu Voburg: Das iſt geſchehen am Fritag nach conceptionis Mariæ virginis glorioſis: 1448. fol. In fine verò, & in extremo plane paginæ legi: *Irog Scapff zu Augſpurg*, meminit Vir doctiſſimus; verum, quod ejus pace dixerim, anni 1448. nota haud indigitare mihi videtur impreſſionis, ſed ſcriptionis tempus, quo ſcilicet ad finem perductum fuerit & Germanica veſte indutum opus ab Hartliebio, cujus curæ illud Anna, Bavariæ Ducis Conjux, demandaverat. Neque enim veriſimile eſt, tam cito translatam eſſe Auguſtam auream artem, quæ tum adhuc vel Argentorati, vel, quod magis placet, Moguntiæ in cunis vagiebat. Præterea contra tantam vetuſtatem pugnat, quod, ipſo obſervante Cel. Burckardo, utrique paginæ, ut hodie fieri ſolet, typi ſint impreſſi; quum in reliquis altera ſemper vacua relicta ſit, cui tamen alterius folii impreſſa pagina plerumque eſt agglutinata. Ipſa inſuper verba editoris meæ ſententiæ patrocinantur: *hatt zu Teutſch gemacht Doctor Hartlieb* —— *Das iſt geſchehen* — 1448. Idem fere de Leonardi de Ubiño Sermonibus notavit

Mich. Maittaire (*f*). Cæterum quem ibidem p. 72. laudatus Burckardus memorat librum, typos & antitypos Vet. & Nov. T. pertractantem, idque Germanico ſermone, plurimis adjectis figuris, ex latino illo opere, cujus vetuſtiſſimum exemplum, inter ipſa typographiæ initia impreſſum, Bibliothecam Krafftianam ornat (*g*), in vernaculum idioma translatum eſſe ſuſpicor.

2. Diximus quædam Part. III. p. 145. ſqq. de Rituum Eccleſiaſticorum Romanæ Eccleſiæ libris, jam nonnulla, eorum hiſtoriam concernentia, adjicienda ſunt. Petrus Paulus Vergerius (*h*) hæc de iis refert: *Quoniam ſcio — Ceremoniale non eſſe adeo multis notum, audi pauca de eo. Titulus eſt: Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ rituum ſeu ſacrarum cæremoniarum Libri ſex. Semel tantum fuit typis excuſus Venetiis, curante quodam prædivite ex Capellorum familia, avaritiæ cauſa, mercatore, cui nomen fuerat Sylvano, Anno M. D. XXVI. Quod Cle-*

(*f*) Annal. Typogr. Tom. I. p. 25.

(*g*) vid. Tom. IV. p. 293. ſqq. ubi ejus notitiam & ſpecimen exhibui.

(*h*) in Præfat. libelli, hac inſcriptione inſigniti: Cur & quomodo Chriſtianum Concilium debeat eſſe liberum.

Clemens Papa VII. cum (ut erat aſtutus) valde iniquo tuliſſet animo, ſupprimenda ea exemplaria, ac ne deinceps excuderentur, ſeveriſſime imperavit. Et propterea rarus inventu eſt. Bis hic erraſſe mihi videtur Vergerius: primo, quod ſex libris opus abſolvi ſcribat, cum tres tantum ſint, niſi forte ei, quam memorat, editioni acceſſerint etiam Paridis Craſſi de ceremoniis ad Epiſcopum Cardinalem ſpectantibus libri, quorum tamen duo duntaxat ſunt: deinde quod prima vice eos libros A. MDXXVI. prodiiſſe in lucem exiſtimet, cum aliter ſe rem habere ex hujus opellæ parte III. p. 145. pateat. Ait vero l. c. Vergerius, ſe Tubingæ recudendam curaſſe primam ejus libri partem, in qua de Paparum electione agitur, ſperatque fore, ut propediem reliquæ etiam partes e cavernis ac tenebris in lucem protrahantur. Cum libellus mihi ad manum ſit, rariusque occurrat, ut omnia Vergeriana, integrum ejus titulum exhibere haud piget. *Ordo eligendi Pontificis & Ratio. De Ordinatione & Conſecratione ejusdem. De Proceſſione ad Eccleſiam Lateranenſem. De ſolenni convivio, quo Cardinales, Epiſcopos atque alios excipit. Tum de Pallio de corpore*

beati Petri ſumpto, in quo eſt plenitudo pontificalis officii. Omnia excerpta verbum verbo ex libro, cui titulus: S. Ro. Eccleſiæ Cerimoniarum libri ſex, qui in Vaticana ſecretiore Bibliotheca magna religione & reverentia conſervatur. Reliqua etiam quæ illic in hoc genere latebant brevi evulgabuntur. Tubingæ Anno M. D. LVI. in forma quadruplici. In epiſtola dedicatoria ad Albertum Marchionem Brandenburgenſem ſeniorem ac Ducem Pruſſiæ pauciſſimos ſcribit quid in hoc Cerimoniali contineatur noſſe, vix enim alibi quam Romæ reperiri; quin Romæ quoque paucos eſſe, qui norint, quod nimirum ejus pudeat, ac proinde celare quantum poſſint conentur. Poſt dedicationem operi præfixa eſt figura, æri inciſa, Joannæ Papiſſæ inter Cardinalium brachia parientis, fortaſſis eadem, quam cum Cardinalis Veneti libello de laudibus Sodomiæ (*i*) faſciculo literarum, Car-

(*i*) Vel potius Capitolo di M. Giovanni della Caſa ſopra il forno, recuſo in Obſervat. Select. Illuſtr. Nic. Hieron. Gundlingii Tom. I. ex rariſſimo libro, cui hic titulus eſt: *Il primo libro dell' opere Burleſche di M. Franceſco Berni, di Meſſer Gio. della Caſa, del Varchi, del Mauro* &c. Venet. A. 1564. Peculiari ſimul obſervatione p. 120. ſqq. Vir celebratiſſimus infamiæ

Cardinali Borbonio inſcriptarum, incluſit Vergerius, de qua re ſingularia quædam commemorat Clar. Fiſchlinus (*k*). Integrum iſtud opus ceremoniale Venetiis quoque per Juntas A. M D LXXXII. in quarti ordinis forma recuſum fuiſſe, ex Catalogo Bibliothecæ Cardinalis Imperialis f. 312. didici. Cæterum Paridem Craſſum, vel de Graſſis, quem adeo ægre primam huiuſce operis editionem tuliſſet. l. c. oſtendi, minus recte in Lexico Univerſali Hiſtorico Lipſienſi *Pariſienſem* vocari, erroris anſa ex Viri prænomine accepta, obſervavit Vir Celeberrimus, Jac. Chriſtoph. Iſelius. (*l*).

3. *Concilium non modo Tridentinum, ſed omne Papiſticum perpetuo fugiendum eſſe omnibus piis. Autore Vergerio.* Anno M. D. LIII. in 4. Hoc in libello continentur 1. Receſſus Comitiorum Auguſtanorum An. 1548. quo præſcribitur forma, juxta quam celebrandum fuiſſet Concilium Tridentinum. 2. Receſſus Comitiorum

famiæ notam a Caſa, quod ſcilicet παιδεραστιας crimen defenderit, feliciter abſterſit.

(*k*) In Supplementis ad Memorias Theologorum Wirtembergenſium. p. 117. ſq.

(*l*) In Præfatione Lexici Univerſalis Baſileenſis fol. 13.

Auguſtanorum An. 1551. de eadem re. 3. Bulla Indictionis Julii III. tota inſidioſa. 4. Prior ſalvus Conductus Concilii Tridentini. 5. Salvus Conductus Baſilienſis Concilii. 6. Alter ſalvus conductus Tridentini. 7. Duæ Cæſaris literæ de Concilio Tridentino. 8. Canon ex veteribus Paparum libris, quinam habeant vocem deliberativam in Conciliis. 9. Juramentum Epiſcoporum. 10. Juramentum Paparum. 11. Canon, quod Concilia fiant ſingulis decem annis. 12. Canon, quod non ſervetur fides hæreticis. 13. Hiſtoria de Hieronymi Pragenſis ſupplicio a Poggio Florentino ſcripta. 14. Indictio a Paulo Papa III. facta, qua Germanos diſerte appellat Hæreticos & infideles. 15. Catalogus hæreticorum D. Joannis Della Caſa legati papalis, qua idem agitur. 16. Punctum Bullæ Julii III. Papæ, qua prohibet Epiſcopis (nempe judicibus Concilii) lectionem librorum hæreticorum. 17. Punctum ex libro Mutii a Julio Papa III. approbato, qui affirmavit Papam ipſum habere Germanos non ſolum pro hæreticis & infidelibus, ſed pro ſceleratiſſimis, ebrioſiſque hominibus, & nullo modo eos auditurum eſſe in Concilio, ſed illis inauditis comprabaturum

omnes

omnes ſuas regulas & conſuetudines hactenus obſervatas. 18. Proteſtatio Henrici II. Regis Gallorum Concilio Trid. facta, qua affirmat nolle illud agnoſcere pro legitimo & univerſali. *Hæc ita erant ſparſa*, verba ſunt editoris, *ut ea boni viri non facile poſſent habere in promptu, & cavere a captionibus & inſidiis Paparum & Conciliorum eorum. Itaque ob hanc cauſam Petrus Paulus Vergerius, JEſu Chriſti ſervus, putavit colligenda, ſcholiis illuſtranda, & in hunc libellum redigenda ad gloriam Dei.* Locus impreſſionis indicatus haud eſt, at Tubingæ prodiiſſe, typi evincunt. Alibi (*m*) Vergerius opuſculum hoc Bernæ apud Helvetios primum, poſtea & Tubingæ excuſum eſſe, ſeque de eo cum aliis quibusdam recudendo cogitare ſcribit.

4. *Cur & quomodo Chriſtianum Concilium debeat eſſe liberum, & de Conjuratione Papiſtarum. Cum Præfatione P. P. Vergerii. Impreſſum Viteberga primum A.* 1537. *ac denuo Regiomonti per Joannem Daubmannum* A. 1557. in 8. In Dedicatione ad Jo. Aurifabrum ita fatur Vergerius:

(*m*) In Præf. opuſculi, cujus num. 4. mentionem facio.

rius: *Cum me videres ſolicite indagantem, quinam libelli hoc tempore eſſent recudendi, qui in conventu Varſovienſi promovere cauſam D. N. JEſu Chriſti contra furentiſſimos ipſius hoſtes nonnihil poſſent: iſtum tu ad me miſiſti, cui titulus eſt,* De Conjuratione Papiſtarum, *& adjecta ſchedula ſciſcitatus es, viderimnè eum libellum antea, nec ne. Quare hiſtoriolam accipe pro reſponſo, & num viderim intelliges. Ego ille ipſe Saulus fui, ille inquam Pauli Papæ III. præclarus internuncius, qui concilium Mantuanum per totam Germaniam magno ſupercilio jactabam. In me igitur, atque adverſus meam legationem, immiſſus fuerat libellus, a quo ſentiebam non mediocriter turbari atque impediri rationes meas. Cum enim Sacri Romani Imperii Principibus, cæteriſque Ordinibus anxie promitterem, Paulum III. Concilium propediem celebraturum, ut ſcilicet eos a nationali (quod tunc valde timebatur) celebrando abducerem, ſæpius in illis actionibus audiebam quaſdam ſubobſcuras voces, quæ mihi neſcio quæ juramenta, præſertim Epiſcoporum, objiciebant. Quare, cum id, quod res erat, metuerem, diligentiſſimeque inveſtigarem, tandem deprehendi libellum, ac veluti catellum quendam, qui me allatrabat atque prodebat. Tacebam*

enim

enim ego aſtute, neque qualis futura eſſet Concilii forma indicabam. At hic libellus videbatur clamare, cave credas iſti Legato ullisve Papiſtis, Germania. Fecerunt enim conjurationem contra veram Dei Eccleſiam, quæ tibi tantopere cordi eſt. Quid quæris Aurifaber? Feci quod in Schola Paparum didiceram. Nempe juſſi conquiri & colligi quotquot inveniri potuerunt ejus libelli exempla, atque in ignem conjici, conjecturus multo libentius autorem ipſum (qui nimium mihi in dicendo vehemens fuiſſe, ipſumque jugulum cauſæ petiiſſe videbatur) ſi licuiſſet. Ita eram amaro zelo & perſecutor Eccleſiæ Chriſti peſſimus. Habes hiſtoriam. Audis me noviſſe, atque etiam bellum geſſiſſe cum libello. — — — Cæterum permitto tuo, cui merito permultum tribuo, judicio, num interea hic libellus Regiomonti videatur recudendus. Mihi quidem videtur omnino. Habet enim & is ſuas utilitates. Deinde cum ego, ut dixi, multa ejus exempla flammis aliquando abſumenda tradi curaverim, atque ita multos pios homines ejus lectione fraudaverim, decet me ſaltem totidem de meo inſtaurare, atque Eccleſiis reddere. Talis ſatisfactio prorſus pia ac debita eſt.

5. Itidem curante Vergerio typis exſcriptum eſſe libellum arbitror, cujus titulus eſt: *Vide quid Papatus ſentiat de Illuſtriſſimis Germaniæ Principibus, ac de liberis Civitatibus, quæ Evangelio nomen dederunt. Inprimis quid de tota noſtra doctrina & de miniſtris Eccleſiarum. Vix fuere unquam ſcripti ulli famoſi libelli atrociores & truculentiores.* Anno M. D. LVI. in 8. Excerpta heic exhibentur e libro Italice ſcripto, cujus

Verba velut tinctum ſingula virus habent:

Q. ſcilicet Jacobo Moroneſſæ, Monachi Cæleſtini Typo Martini Lutheri, cum privilegio Papæ & Reip. Venetæ edito Venetiis apud Gabrielem Jolitum de Ferrariis & Fratres A. M. D. LV. En tibi ſpeciminis gratia quosdam ex eo floſculos! Pag. 3. ita Moroneſſa maledicentiſſimus: *Dicturus ſum in hoc libro de moribus, de vita, de doctrina & de morte Martini Lutheri, monſtri horribilis Saxoniæ, fugiendum non ſolum a nobis Chriſtianis, ſed etiam ab omnibus Barbaris & Scythis, imo etiam a dæmonibus inferni, tanquam hoſtem naturæ, proditorem patriæ peſtem proprii ſanguinis, inimicum totius humani*

mani generis, æternam mortem ſui ipſius, & omnium qui illum ſequuntur. Pag. 77. *Quid eſt Lutherus niſi idolum abominationis, manifeſtus infidelis, beſtialiſſimus belial, caliginoſa nox errorum, nequitia abſoluta, via non minus pernicioſa quam nova, domus certiſſimæ mortis, verus ſpermologus, hoc eſt, novorum verborum & legum ſomniator, fictus & novitius Chriſtianus, Apoſtata, Sacrilegus, Adulter atque ambitioſiſſimus, qui tandem repentina & ſubitanea morte ſublatus eſt.* Pag. 290. audit ipſi beatus Lutherus inſtrumenmentum diabolicum, vas damnationis, arca ignorantiæ, ſcandalum orbis notabile: pag. 305. templum ſuperbiæ, fornax avaritiæ, ſentina luxuriæ, fluxus & refluxus gulæ: pap. 313. animal brutum, beſtia ſilveſtris, monſtrum ingens & horrendum, ſuperans omnes mortales omni magno ſcelere: pag. 332. apoſtata, ambitioſus, ſacrilegus, indoctus, adulter, impius, homicida, proditor ſui ipſius & ſuorum omnium, perfidus, invidus, irreligioſus, ſentina omnis turpitudinis, mulus, equus, ſerpens mortiferus, monſtrum cornutum, horrendum, immenſum: pag. 337. peſtis Germaniæ, damnatio ſuæ ſectæ, hæreſiarcha ſeculi ſui, corruptor mentium Catholi-

tholicarum, initium bellorum civilium, ſuſcitator ſepultarum hæreſium, idolum abominationis, præcurſor Antichriſti, & paulo minus quam Antichriſtus: pag. 339. nequam, ſceleratus, reprobus, barbarus & crudeliſſimus homuncio, indoctiſſimus, beſtia inſenſatiſſima, draco venenatiſſimus, peſtis mundi, inſidiæ animarum, latrocinium vitarum: pap. 362. fumus omnium ſepultarum hæreſium, generalis præfectus locuſtarum, princeps abyſſi: pag. 394. ſervus Satanæ, organum diaboli, tenebræ divinarum literarum, fructus pernicioſiſſimus, peſtis Chriſtianismi, damnatio infinitarum animarum, venenum conſanguineorum & vicinorum ſuorum: pag. 395. apoſtata nequam, verus partus diaboli, ſingulariſſimum idolum abominationis, ſtans in loco ſancto. Pag. 400. his utitur verbis: *Lutherus conſtanter perſuaſit inceſtum & ſacrilegium, non ſolum laicis, ſed etiam religioſis: & confiſus latibulis Germaniæ, clamabat contra vicarium Chriſti, vixitque in gratia omnium* Herodum *& impudicarum Meretricum Germaniæ.* Pag. 431. *Converſatio Lutheri fuit ſumme hæretica: in conclavi, ubi mortuus eſt, neminem voluit præſentem niſi ferociores, & magis*

maledictos hæreticos, qui ſint in Germania, Jonam & Michaëlem, veros ſecretarios ſuæ diabolicæ doctrinæ. Voluit illic etiam adeſſe duos filios, veluti hæredes ejusdem doctrinæ, & Comitem ſuum Dominum, & Comitiſſam ſuam Dominam, veluti defenſores ejusdem diabolicæ doctrinæ. O quæ familia, quam fideles ſocii, quam ſuavis conſuetudo! Talis fuit Macarii, Benedicti, Franciſci Seraphici? Tandem mortuus eſt hæretice, nam illud verbum, quo uſus fuit: Sic Deus dilexit mundum! *in fœtida latrina oris ſui horribiliter putebat pravitatem hæreticam: nam voluit inferre, quod Chriſtus datus fuit mundo, ut ſolus pateretur pro peccatoribus, qui ſalvarentur ſolis meritis & paſſione Chriſti, non autem per ulla propria merita, ſicut ipſe fecit, qui nullum verbum dixit de pœnitentia &c.* Scilicet commune fatum habuit Megalander noſter cum divo Paulo, de ſeipſo ſuisque συνεργοις teſtante: ὡς περικαθαρματα τȣ κοσμȣ ἐγενηθημεν, παντων περιψημα ἑως ἀρτι. 1. Cor. IV. 13. & cum primis Chriſtianis, tot conviciis, tot morſibus a gentilibus laceratis, quibus teſte Terrtulliano (*n*) *Chriſtianus*

(*n*) Apologet. Cap. II. De calumniis Paganorum in veteres Chriſtianos ſparſis integro tractatu, Kilonii A. 1668. in 4. edito, egit Chriſtianus Kortholtus.

ſtianus homo erat *omnium ſcelerum reus, Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicus.*

6. De editione prima *Canonum Concilii Tridentini*, quæ Bibliothecam Perilluſtris Dni. de Krafft decorat (*o*), hæc habentur in Sagittarii Introductione ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam (*p*): *Canones ac Decreta bujus Concilii primum Romæ* CIↃ IↃ LXIV. *in fol. a Paulo Manutio publica cum autoritate & complete prodierunt, — — Editio hæc rariſſima, & charo olim pretio in Gallia vendita. Et quanquam additum ſit Pontificis privilegium, gratiam tamen apud plures hac editione non iniit Manutius, utpote intempeſtiva. Differt hæc ſæpe ab aliis, typosque præfert majuſculos ac nitidiſſimos, atque extat in Bibliotheca Guelphica.*

7. *Andreæ* Dudithtii *de Horehoviza, quondam Epiſcopi Quinque-eccleſienſis, Oratoris & Conſiliarii Cæſarei, Orationes in Concil. Trident. habitæ, Apologia ad D. Maximil. II. Imp. Commentarius pro conjugii libertate. Cum appendice Epiſtolarum DD. Impp. & PP. German. orationum ac ſcriptorum*

(*o*) Vid. Tom. III. p. 154.
(*p*) Tom. II. p. 1444. edit. D. J. A. Schmidii.

rum aliquot de communione ſub utraque ſpecie, connubio ſacerdotum, eccleſiæ reformatione, Synodique Trident. potiſſ. actionibus. Edita ſtudio ac opera D. Quirini Reuteri Palatini, Profeſſ. in Academia Heidelbergenſi. Offenbachi A. CIↃ IↃCX. in 4. Hic liber in Sagittario-Schmidiana Introd. ad Hiſt. Eccleſ. T. II. pag. 1442. rarioribus annumeratur. Dilucidius ejus contenta exhiberem, cum mihi ſit ad manus, niſi id factum jam eſſet a ſummo Viro J. A. Fabricio *(q)*.

8. *Victorii Siri Hiſtoria annorum* 1640. *ſqq.* in laudata Introductione (*r*) rariſſimum opus vocatur.

9. *Jo. Cochlæi Hiſtoria Huſſitarum*, Moguntiæ A. 1549. in fol. excuſa ibidem (*s*) dicitur rarum at virulentum ſcriptum.

10. De Petri *Martyris Anglerii Epiſtolis* ita *Bœclerus* (*ſſ*) ad Bar. de Boineburg. *P. M. A. M, Epiſtolæ multæ frugis ſunt, ſed intelligentibus. Diſplicet autem editorum conſilium tam pauca exemplaria & parca manu*

(*q*) in Bibliothecæ Græcæ Volum. XI. p. 706.

(*r*) Tom. II. p. 131.

(*s*) l. c. p. 265.

(*ſſ*) in epiſtola, Argentor. A. 1670. d. 12. Maji data, e qua excerpta exhibet Cel. Struvius in Actis literariis Tom. I. Faſc. VI. p. 23.

nu publicantium, ut ſemper rarus maneat liber. Patinus Medicus Pariſienſis exul hic excudi curavit numiſmatum antiquorum Tomum. Videtur vir valde bonus eſſe, & in re numaria vetere promptus, medicus quoque eruditus, cui debetur etiam editio noviſſima P. M. A. M. epiſtolarum. Illæ notæ ſingulis epiſtolis præfixæ notant Petrum Martyrem Anglerium Mediolanenſem. Epiſtolarum ipſarum tria tantum exemplaria ad nundinas Francofurtenſes allata, & unum ſtatim te occupaſſe retulit Simon Pauli.

11. Idem in Bibliographia Critica (*t*) *Huc pertinent Navigationes*, ait, *in Indiam Orientalem omnes, ad* 40. *vel* 50. *hodie rariſſime omnes ſimul haberi poſſunt*, &(*u*): *Navigationes Americanæ plurimæ cum figuris æneis ſeorſim editæ; ſed raro haberi poſſunt.*

12. Idem l. c. p. 767. *Hanc laudem* (*quod ſint optimæ*) *habent omnes editiones Latinæ Patrum ab Eraſmo procuratæ, quæ propterea in Gallia etiam & Italia ambiuntur, & magno ære redimuntur.*

13. Miſſale

(t) edit. Krauſianæ p. 394.
(u) l. c. p. 396.

13. *Miſſale ſecundum ritum Eccleſiæ Bremenſis*, Argentorati A. MDXI. fol. auſpiciis Joannis, Archiepiſcopi Bremenſis editum adeo rarum eſſe ſcribit Cel. J. H. von Seelen (*x*), ut teſtetur Dietericus a Stade, quod per 42. annos, quibus eo tempore Secretarii in Conſiſtorio Stadenſi munere functus erat, unum tantum ejus exemplar videre ſibi licuerit. De hoc Miſſali laudatus Stadenius in præfatione Manuali Eccleſiaſtico, *Kirchen-Hand-Buch*, Stad. 1710. 8. Maj. edito, præfixa conſulendus eſt.

14. *Otfridi*, *Monachi Weiſſenburgenſis*, *Evangeliorum librum: veterum Germanorum Grammaticæ, poëſeos, theologiæ præclarum monumentum*, de quo Tom. III. p. 19. ſqq. differui, *a Flacio Baſileæ* M. D. LXXI. *in* 8. *vulgatum*, inter rariores libros rariſſimum nuncupat Seelenius (*y*), eumque ex hac editione totum ſuos in uſus deſcripſiſſe Stadenium memorat. Exemplar Otfridi edit. Flac. quod fuit in Bibliotheca Gudiana, magno pretio redemiſſe C. S. Schurzfleiſchium, in Vinarienſem Biblio-

(*x*) in Memoria Stadeniana p. 129.
(*y*) l. c. p. 62.

thecam inferendum, idem refert (z). Qua occaſione Lectoribus meis nunciandum eſt, prelum jam Ulmæ ſtrenue exerceri in excudendo B. Schilteri Theſauro Antiquitatum Teutonicarum, in quo Otfridus agmen ducet.

15. Codicem Biblicum, dialecto Saxoniæ inferioris Lubecæ MDXXXIII. fol. typis exſcriptum valde rarum appellat Seelenius (a), dataque opera de eo in Selector. Literar. Specim. V. egiſſe ſe ait.

16. *Merici Caſauboni Commentatio de quatuor Linguis, Pars I. Londini* 1650. in 8. *Ut rarus hic liber*, verba ſunt ſæpe laudati Selenii (b), *in quo de Hebraica & Saxonica Linguis (pars enim poſterior de Græc. & Lat. Ling. nunquam edita eſt) docte diſſeritur, aliquando cum acceſſionibus quibusdam recudatur, dabo operam, ſi vitam dederit & vires Numen benigniſſimum.*

17. *Bonaventuræ Vulcanii Opus*, quo *de Literis & Lingua Gothorum* agit, & variarum Linguarum ſpecimina exhibet, Lugd.

(z) l. c. p. 68.
(a) l. c. p. 70.
(b) l. c. p. 77.

Lugd. Bat. 1597. in 8. editum, rariſſimum idem appellat (*c*).

18. De *Gudmundi Andreæ Lexico Islandico*, ſive Gothicæ Runæ vel Linguæ ſeptentrionalis Dictionario, quod in lucem produxit Pet. Jo. Reſenius, Hafn. 1683. in 4. maj. idem vir eruditiſſimus conferatur (*d*).

19. *Paræneticorum veterum Pars I. cum notis Melchioris Haiminsfeldii Goldaſti.* Adjectæ Cunradi Rittershuſii JC. conjecturæ in Panegyricos veteres. Inſul. ad Lac. Acron. 1604. in 4. Secunda pars lucem haud vidit. De hoc libro ita Jo. Riddarſtierna Hamb. d. 19. Dec. 1694. ad Stadenium (*e*): *Verlange von dem Hn. Secretario einige Nachricht, wo doch des Goldaſti Parænetici Veteres zu finden, und wann ſie getrukt, qua forma, an ſeparatim, an vero junctim cum aliis Goldaſti operibus. Denn ich ſie tauſendmal geſucht in Bibliotheken und nachgefragt, aber niemals können zu ſehen bekommen.* Cui Stadenius A. 1694. d. 24.

R 2 Dec.

(*c*) l. c. p. 84. de hoc libro conf. omnino l. c. p. 322. ſqq.

(*d*) l. c. p. 85. ſqq.

(*e*) l. c. p. 188.

Dec. præter alia reſpondit (*f*) : *Nactus ego ſum hanc partem primam ex Bibliotheca Conringiana, & profecto non vili pretio, quia in bibliopolis non reperitur, nec niſi ſemel ſeparatim eſt edita.*

20. *Simonis* **Pauli** *Miſcella Lectionis antiquæ* Argentor. 1670. in 8. impreſſa rariſſimum librum nominat Seelenius (*g*).

21. *Gysbert Japix Frieſche Rymlerye, in trye dielen forſchaet*, librum Lowardiæ 1681. in 4. publicatum, rariſſimum tum alibi, tum in ipſa Friſia eſſe teſtatur idem (*h*).

22. *Das Helden-Buch mit ſynen figuren.* Hagen. A. M. D. IX. fol. Raro obvius liber eidem audit (*i*).

23. *Joannis Cotovici*, Ultrajectini, militis Hieroſolymitani, *Itinerarium Hieroſolymitanum & Syriacum*, Antverpiæ 1619. in 4. maj. editum, rarum hodie monumentum vocat Jo. Oldermannus (*k*).

Ex

(*f*) l. c. p. 191.
(*g*) l. c. p. 95.
(*h*) l. c. p. 98.
(*i*) l. c. p. 99. ibidem in ſequentibus alii quoque hujus generis libri rariores memorantur.
(*k*) in Programm. de Geographiæ Græcæ lumine in veterum autorum monumentis legendis. p. 9.

Ex epiſtolis Thomæ Reineſii, ſummi Polyhiſtoris, ad J. A. Boſium cognovi, illum avide quæſiviſſe ac deſideraſſe hunc librum, tandemque ab hoc obtinuiſſe. Nuper & ego potitus ſum.

24. *Martini Buceri ſcripta*, ipſo auctore curante *in Germania*, ſenſim ſenſimque *excuſa*, haud facile obvia ſunt, magni merito æſtimanda. De iis ita Gerh. Jo. Voſſius (*l*) ad Hugonem Grotium Amſtelod. 1642. d. 17. Junii inter alia ſcripſit: *Conſulendæ ſunt editiones illæ, quas nobis Germania produxit: non quæ ex ſententia Calvini caſtratæ prodierunt Genevæ. — — Cum vero omnia fere Buceri ſint moderatiſſima, tum imprimis præfatio in Commentarios ſuper quatuor Evangeliſtas in editione Argentoratenſi* A. M. D. XXX. *quæ & ipſa prætérita in editione Rob. Stephani Anni* CIↃIↃLIII. Exempli gratia ibidem Voſſius producit locum e Buceri Commentar. in Pſalmum II. qui in editione Rob. Stephani A. CIↃIↃLIV. caſtratus ac interpolatus legitur. Scripta quoque ejus Anglicana, quæ ſingulari volumine Conradus Hubertus, Buceri quondam

(*l*) in Epiſtolis, Auguſtæ Vindel. recuſis A. 1691. fol. 447.

dam per annos XVIII. adminiſter, evulgavit Argentorati A. MDLXXVII. rariora eſſe teſtatur Summe Rever. D. Alb. Meno Verpoortenius (m).

25. *Claſſicum belli ſacri adverſus Hugonem Grotium Papiſtam ab omnibus Lutheranis ſuſcipiendi decantatum a Jo. Seyfferto Ulmenſi*, & ſecunda vice impenſis auctoris A. 1643. in 8. editum ita diſparuit, ut rariſſime conſpiciendum ſe præbeat. Libellus eſt exiguus, tribus tantum plagulis conſtans, Axelio Oxenſtirnæ, tum Sueciæ Archicancellario inſcriptus, ex meris convitiis, iisque atrociſſimis in Grotium, Virum ſui nominis & vere magnum, & forte etiam nugis conſutus. Non equidem ignoro, eſſe, quæ jure in Grotio Theologi puriores deſiderent: interim haud quaquam meo probare poſſum calculo iſtum adverſarios, tantis alias meritis conſpicuos, confellendi modum, quo uſus eſt Seyffertus. Accipe quædam ejus maledicentiæ ſpecimina, e quibus de reliquis judicare facile poteris. Pag. 5. ipſi Grotius vocatur lupus, Cupido inverecundiſſimus & pro-

(m) in Commentatione hiſtorica de Martino Bucero. p. 50.

propudioſiſſimus, Babelicæ Veneris conciliator. p. 7. Abaddon, furioſus Satanæ Apoſtolus, Rex locuſtarum infernalium, cujus ſanguinem canes lincturi ſint, id eſt, ſatyricorum feſtiviſſimorum exquiſitiſſimi, cantilenis & emblematibus Grotio parentaturi, cujus arma lotrices cauponæ loturæ ſint, hoc eſt, cujus libri adverſus orthodoxiam diſſeminati, detergendis Analyticis poſterioribus Ariſtotelis adhibendi, aut ſeplaſiariis inſervituri ſint: pag. 9. molitoris animalculum, leonina pelle, tragico faſtu ſuperbiens, aurium prominentia & vocis ruditu proditum: p. 11. canis: p. 15. aſinus pollentiſſimo onere gravatus, nugator magnus, major, maximus: p. 25. androgynus, proditor execrandus &c. pag. 40. literas ad Hengerum datas his verbis obſignat: *Vale, & Papiſtæ Grotio maturam mortem mecum imprecare.* De hoc libello ejusque auctore ita Gerh. Joh. Voſſius (*n*) Amſtelod. 1642. 3. Non. Novembr. ad Andream Rivetum: *Neſcio, an videris Ulmenſis illius maledicentiſſimum ac omnis violentiæ pleniſſimum ſcriptum, quod hic adverſus Grotium prodiit. Homo is docentem me audivit, ut*

 ajunt,

(*n*) in Epiſt. CCCCLXV. f. 456. Parc. I.

ajunt, qui norunt. Atque aliquis, qui a pluribus novit annis, mira mihi narrat de vita hominis anteacta. Liberaliſſimus eſt in donando quæ ſcripſit, ſed hactenus me ne compellavit quidem, καὶ οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Vellem non abuſus eſſet parte litterarum tuarum, quam opuſculo præmiſit, quaſi patrocineris tot mendaciis, quæ nihil ad Eccleſiæ negotium. Tales magis cauſæ obſunt, quam juvant. Et video hominem fanaticum nec aſſis hic fieri, nec ab aliis, ni qui ſimiles amant labris lactucas. Egone iſtud probarem dicendi genus, qui (quod hic promere liceat) ne in amiciſſimo quidem, & multis partibus ut doctiore, ſic modeſtiore, probare potui quod tam multa inſperſiſſet, quæ nihil ad cauſam pertinerent? Quale illud περὶ ἀποστασίας non eccleſiaſticæ, ſed civilis.

26. *Jo. Baptiſtæ Criſpi Gallipolitani* ***Quinarius primus de Ethnicis Philoſophis caute legendis.*** Romæ. 1594. fol. Summe rarum eſſe hunc librum, pauciſſimisque, imo ne maximis quidem librorum helluonibus, viſum oſtendit πολυμαθέστατος Heumannus, qui eum quoque copioſe & curate recenſuit (o), tantæ raritatis cauſam eſſe

(o) Act. Philoſ. Volum. II. p. 922. ſqq.

eſſe judicans, quod confuſe admodum atque invenuſte ſcriptus paucos emtores repererit. Poſſidet hoc opus amiciſſimus meus Bruckerus, qui raritatis originem ex odio eorum, qui conciliationes Scripturæ S. & philoſophiæ gentilis inſtituerunt, præſertim Ficini & Steuchi, in quos ſæpe inſurgit Criſpus, facilius derivandam eſſe in literis ad me datis cenſet.

27. *Comitis Scipionis Agnelli Diſceptationes deideis in tres libros diſtributæ, Venetiis.* 1615. in 4. Librum hunc rariorem eſſe & in paucorum manibus ait Morhofius (*p*). Recenſet eum eleganter, uti ſolet, Clar. Brukerus (*q*).

28. *Auguſtini Steuchi Eugubini opus de perenni philoſophia,* Baſileæ A. 1542. in 4. editum libris rarioribus accenſet laudatus modo Bruckerus (*r*). Quanti iſtud fecerit Julius Cæſar Scaliger, ex vita ejus, a filio Joſepho deſcripta, cumque aliis biographiis a Guilielmo Bateſio Londini

R 5 A. 1681.

(*p*) Polyhiſt. liter. Tom. II. L. I. C. 7. p. 41.

(*q*) in Hiſtoria philoſophica doctrinæ de Ideis p. 74. ſqq.

(*r*) in præfat. Hiſtoriæ Philoſ. doctr. de Ideis præmiſſa.

A. 1681. vulgata, patet, ubi p. 413. hæc inter cætera Leguntur: „ In Atheos, quorum „ illud ſeculum feraciſſimum erat, inex„ piabili odio flagrabat. Petrus Rufus Con„ ſiliarius Aginnenſis, qui illi ob doctrinam „ chariſſimus erat, ut qui & ſummus Pe„ ripateticus & juris civilis Romani con„ ſultiſſimus eſſet, hoc morbo animi labo„ rabat. Nunquam ceſſavit, donec ami„ cum ſæpe convivio adhibitum, aut di„ ſputationibus confectum, aut precibus „ delinitum, ad meliorem mentem revo„ caſſet, tradito illi Auguſtini Eugubini de „ perenni philoſophia opere, quod illi vi„ am ad veri Dei cognitionem muniret, „ quandoquidem a Rufo nunquam expri„ mere poſſet, ut ſacra Biblia conſuleret, a „ quibus Rufi animus abhorreret. Et ſane „ ea lectio Rufo ſalivam movit adeo, ut „ totum ſe protinus ad theologiæ ſtudium „ converteret: in quo tantum profecit, ut „ nemo acrius aut veram pietatem defen„ deret, aut atheismum oppugnaret. Erat „ enim acerrimus & acutiſſimus diſputator. In hoc ipſum opus digitum intendere mihi videtur C. S. Schurzfleiſchius, ad fratrem (s) ſcri-

(s) in Epiſtol. Arcan. Tom. I. p. 567. in quo opere paſſim libri rariores memorantur.

ſcribens: *Dic, quæſo, ubi nanciſci queas Plotinum Steuchumque Eugubinum, in quo tantopere ſibi quidam hic placet?* Cæterum ex eo Paulum Scalichium librum de juſtitia æterna fere totum enormi plagio exſcripſiſſe alibi (*t*) indicavi: qua occaſione ſimul annoto, ejus Scalichii opera junctim Baſileæ cura Jo. Oporini A. 1559. in 4. publicata (*u*) itidem rarius comparere.

29. De *Roberti Parkeri* libro *de deſcenſu Chriſti ad inferos*, Amſtel. 1611. excuſo, ita ad me memoratus ſæpe Brukerus, qui illum poſſidet: *Rariſſimum eſſe vel inde patet, quod in nullis ferme Bibliothecarum catalogis, imo nec in Ittigiano & Carpzoviano, appareat, multoque pretio olim quæſitum eſſe, ex ore Celeb. Syrbii audivi haud ſemel. Cauſam raritatis vel in paucitatem exemplarium, vel in odium auctoris ab Epiſcopalibus, Presbyterianos (quorum tubam & facem noſtrum fuiſſe Pearſonius in Vindic. Ignat. ait) tum ex Inſula exturbantibus, illi conflatum, quod eum quoque exulem fecit, conjicio. Scriptum enim librum hunc contra* Bil-

(*t*) In Commentatione de vita & ſcriptis Pauli Scalichii, inſerta Bibliothecæ Bremenſ. Claſſi VII. p. 1049.

(*u*) quorum recenſum dedi. l. c.

Bilſonum, Wintonienſem Epiſcopum, doctrinam ipſam cum reliquis Epiſcopo-Satrapis labefactantem, non negat in præf. Parkerus, in qua plura notatu admodum digna deprehendere eſt.

30. *Jo. Peſſeratii de litterarum inter ſe cognatione ac permutatione libellum*, Pariſiis MDCVI. editum, qui in Illuſtris Uffenbachii Bibliotheca inſtructiſſima extat, rariſſimum nòn minus quam eruditiſſimum vocat, paucisque etiam noſtro ævo doctis hominibus conſpectum Celeb. J. H. Majus, Fil. Gieſſenſis, Academiæ ornamentum (*x*).

31. Epiſtolarum Rabbinicarum libellum, cujus titulus eſt אגרות שלומים ſive *Epiſtolæ ſalutationum*, Baſileæ An. 1603. impreſſum, inventu eſſe perquam rarum, & corvo rariorem albo, diſtractis dudum & inter ipſos Judæos exemplaribus, ſcribit Jo. Buxtorfius, trium Buxtorfiorum in Profeſſ. Linguæ Hebrææ in Acad. Baſil. Succeſſor, avitam gloriam ſtrenue propagans (*y*).

32. Q. *Sectanii Satyræ. Editio noviſſima cum notis Anonymi, concinnante P. Antoniano.*

(*x*) in Specimine Linguæ Punicæ in hodierna Melitenſium ſuperſtitis p. 19. ſq.

(*y*) in Catalectis Philologico-Theologicis p. 276.

no. Liber primus (z). *Amſtelodami apud Elſevirios* (uti titulus fert, ſed verius Romæ) MDCC. in 4. Librum hunc apud nos rariſſimum nominat Cel. Heumannus (*a*), addita ejus deſcriptione, & quibusdam inde excerptis.

33. *Illuſtriſſimi ac Potentiſſimi Regis, Senatus Populique Angliæ ſententia, & de eo Concilio, quod Paulus Epiſcopus Romanus Mantuæ futurum ſimulavit, & de ea bulla, quæ ad Calendas Novembres id prorogavit*, Declarata A. CIↃ IↃ XXXVII. eodemque anno Wittebergæ per Joannem Lufft in 8. impreſſa. De hac, quam inter reculas meas ſervo, Celeb. Theod. Haſæus (*b*): *Ejus exempla ita evanuere, ut mihi quidem neque vel unicum uſurpare oculis, vel, ubi aliquod lateat, indagare licuerit.* Hanc declarationem, oppido commemorabilem, a me cum ipſo communicatam, in Bibliotheca Bremenſi Vir modo laudatus recudi curavit, atque ita Viro Doctiſſimo diligentiſſimoque, qui hactenus ſub Irenæi

(z) Poſteriorem librum pariter editum eſſe, ſed ſibi nondum viſum ait Heumannus.

(*a*) in Schediaſmate de Libris Anonymis & Pſeudon. p. 48. ſqq.

(*b*) in Biblioth. Brem. Claſſ. V. p. 508.

Irenæi Bibliophili nomine latere voluit, eruditam illam diſſertationem, eidem Bibliothecæ (*c*) inſertam, elicuit, qua hiſtoria Concilii, quod Sec. XVI. Mantuam primum, dein Vincentiam indictum erat, illuſtratur. Ibi Vir hic præſtantiſſimus in notis (*d*) de hoc Anglorum ſcripto ita fatur: *Raritatem exempli, quod Witteberga MDXXXVII. apud Jo. Lufft procuſum perhibetur, ipſe nunc agnoſcere neceſſum habeo, quando ea mihi nondum contigit felicitas, ut vel unicum potuiſſem indagare.*

34. *Joannis Roſini Vitas trium Saxoniæ Electorum Friderici, Joannis & Joannis Friderici*, Jenæ 1602. in 4. editas inter rariores libros refert Chriſtianus Junkerus (*e*).

35. Eisdem annumerat idem (*f*) *Selectiores vereque theologicas Clarorum Virorum, Martini Lutheri D. Phil. Melanchthonis, D. Baſilii Monneri, Juſti Menii, Jo. Mar-*

(*c*) Claſſ. VIII. p. 164. ſqq. in ea diſſert. aliorum quoque hujus generis rariorum ſcriptorum notitia exhibetur.

(*d*) p. 166.

(*e*) in dem guldenen und ſilbernen Ehren-Gedächtniſs Lutheri. p. 439.

(*f*) l. c. p. 156.

Marcelli, D. Matthæi Razenbergeri, D. Caſp. Crucigeri, D. Jo. Langi, Ægidii Mechleri, ad D. Fridericum Myconium, magni nominis Theologum conſcriptas quondam Epiſtolas, in communem Eccleſiæ uſum evulgatas a M. Cyriaco Snegaſſio, Paſt. ac Sup. Vin. Adjuncto. Schmalkaldiæ in 4. absque anni indicio. Libellus hic, tres tantum philyras cum dimidia implens, ob molis exilitatem oculis ſe noſtris rapidiſſime ſubduxiſſe videtur.

36. *Georgius Ederus*, J. U. Doctor & Maximiliani II. Imp. Conſiliarius aulicus A. 1573. Dillingæ *evulgavit librum quendam, quo acerbiſſime inſectatus eſt Proteſtantes.* Hunc peculiari decreto, immortalitate digniſſimo, Auguſtiſſimus ille Imperator mox prohibuit, atque ſupprimendum curavit. Exhibet iſtud ex Goldaſto (*g*) exquiſitæ eruditionis Vir Jo. Chriſtophorus Colerus in Anthologia, ſive Epiſtolis varii argumenti ad illuſtrandam potiſſimum Hiſtoriam eccleſiaſticam & literariam comparatis (*h*), bonæ frugis pleniſſimis, ibidemque ſpem nobis facit, fore, ut alio tempore de Edero ejusque libro pluribus diſſe-

(*g*) Tom. III. Conſtitut. Imper. f. 575.
(*h*) Tom. I. Faſcic. I. p. 2, ſqq.

diſſerat, quod avide expectabunt mecum omnes rei literariæ amantes.

37. *Gabrielis Antonii Erdôdy, Epiſcopi Agrienſis in Hungaria*, *Opuſculum theologicum, in quo quæritur: an & qualiter poſſit Princeps, magiſtratus, dominus Catholicus in ditione ſua retinere hæreticos; vel contra pœnis, eos aut exilio ad fidem catholicam amplectendam cogere?* Carolum VI. Imperatorem noſtrum Glorioſiſſimum, quem DEus ſervet! damnaſſe, fiſcoque adjudicaviſſe, ex eodem (*i*) didici.

38. *Jongelini Notitia Abbatiarum Ciſtercienſium*, Coloniæ Agrippinæ apud Jo. Henningium A. MDCXXXX. forma ordinis maximi edita, opus rariſſimum a laudato Colero l. c. (*k*) recenſetur.

39. *Queſtion Royale, où eſt montré, en quelle extremité principalement en tems de paix, le ſujet pourroit être obligé de conſerver la vie du Prince aux dépens de la ſienne. a Paris. 1609. chez Touſſaint du Bray, avec privilege du Roy.* in 12. Libelli hujus, ab Abbate de S. Cyrano de αὐτοχειρίᾳ ſcripti, inque ipſis Galliis rariſſimi, notitiam dat

Præ-

(*i*) p. 7.
(*k*) p. 9. ſqq.

Præſtantiſſimus Colerus (*l*) e Commentariis, qui inſcripti ſunt: *Memoires Chronologiques & dogmatiques pour ſervir à l'hiſtoire eccleſiaſtique* &c. (*m*)

40. *Vita & mors Juvenis ornatiſſimi Heliæ Putſchii Antwerpiani, per Cunradum Rittersbuſium JC. & Anteceſſorem Acad. Norimberg. amicitiæ ſummæ ergo deſcripta. Multis egregiarum virtutum exemplis referta narratiuncula, ad imitandum juventuti propoſita editaque. Acceſſere* Θρῆνοι φιλικοὶ, *a variis conſecrati honori memoriæque ejusdem Putſchii.* Hamb. 1608. in 4. raro hodie occurrere dicitur Cel. J. H. von Seelen (*n*).

41. *Ægidii Gelenii*, Archiepiſcopi Colonienſis Conſiliarii Eccleſiaſtici & Hiſtoriographi *Liber de admiranda ſacra & civili magnitudine Coloniæ*, editus Coloniæ Agrippinæ 1645. in 4. hodie rarior eidem (*o*) vocatur.

S 42. *An-*

(*l*) p. 29. ſqq.

(*m*) Tom. II. ad A. 1638. p. 111. ſqq.

(*n*) in Orat. de Præcocibus Eruditis p. 57. ibidem p. 39. Franciſci Grudei Crucimanii Bibliotheca Galliæ, Pariſiis A. 1584. fol. vulgata inter rariſſimos libros refertur.

(*o*) in Commentat. de feſto Lanceæ & Clavorum &c. p. 19.

42. *Andreæ du Sauſſay Librum de myſticis Galliæ Scriptoribus*, qui lucem vidit Pariſiis A. 1639. in 4. idem hodie parum obvium nominat. (*p*).

43. *Hiſtoria Apollonii Tyrii*, liber eroticus, Græco-barbara lingua exaratus, ad modum rhythmorum noſtrorum, Venetiis A. 1563. in 4. excuſus, rariſſimus audit Theod. Haſæo (*q*), qui ejus exemplar poſſidet.

44. *Melchioris Goldaſti Politica Imperialia*, Francof. ad Mœn. MDCXIV. fol. Inter Goldaſtianas collectiones hanc & raritate & præſtantia commendabilem eſſe, obſervatur in Biblioth. Brem. (*r*) Ejus *Suevicarum rerum Scriptores*, ibidem A. MDCI. in 4. impreſſos raritate reliqua Goldaſtiana opera ſuperare aſſerit Illuſtris Jo. Burk. Menkenius (*s*). Exemplum illius Bibliotheca noſtra publica ex ipſius collectoris dono poſſidet, qui ei manu ſua hæc inſcripſit: *Quod ſalutare ſit Eccleſiæ Scho-*

(*p*) l. c. p. 27.
(*q*) vid. Cel. Heumanni præfat. Lactantii Sympoſio præmiſſam, p. 17.
(*r*) Claſſ. VIII. p. 182.
(*s*) In Catalogo Hiſtoricorum Langleti du Fresnoy. p. 188.

Scholæque Memminganæ! Hos Suevicarum rerum Scriptores Bibliothecæ publicæ deſtinat atque conſecrat in perpetuam grati ſui animi memoriam Melchior Haiminsfeldius Goldaſtus Helvetius U. J. D. gratiſſimus quondam alumnus.

45. *Andreæ Eudæmon-Joannis Cydonii, e Societate JEſu, ad actionem proditoriam Edouardi Coqui Apologia pro R. P. Henrico Garneto Anglo, ejusdem Societatis Sacerdote. Coloniæ Agrippinæ.* A. MDCX. in 8. Agitur hic cauſſa Henrici Garneti, ob pulverariam, quam vocant, conjurationem in Anglia extremo ſupplicio affecti, isque impudenter in ſanctiſſimorum martyrum numerum refertur. Cum liber haud facile inveniatur, ex eo huc transſcribam teſtimonium Joannis Wilkinſoni Angli, Seminarii Audomaropolitani alumni, de ſpica (ſi Diis placet) miraculoſa, cujus & effigies æri inciſa ibi conſpicitur, ex autographo deſumptum (*t*).

Ego Joannes Wilkinſonus gravi mor- „
bo laborans, & a medicis ſine ſpe vitæ „
derelictus, Deo & ſanctis ejus faciam „
S 2 „ ut-

(*t*) quod extat p. 354. ſqq.

„ utcunque ſatis. Exponam (ut hac me
„ religione exolvam) modum, quo ſpicam
„ inveni, in qua imago B. P. Garneti con-
„ ſpicitur. Pridie ejus diei, quo P. Gar-
„ netus extremo affectus eſt ſupplicio, in-
„ gens animo quaſi extrinſecus injecta cu-
„ pido ſpectandæ cædis inceſſit, ut reliquia-
„ rum ejus aliquid inde domum referrem.
„ Spem vero ita certam concepi fore
„ omnino, ut voti compos fierem, ut du-
„ bitare non potuerim, quin aliquid per id
„ tempus eſſem viſurus, quo Sancti ſui
„ Deus innocentiam teſtaretur, cumque
„ mihi ſubinde ejusmodi cogitatio recurſa-
„ ret, eam iterum atque iterum conabar
„ abigere, ne miraculum ibi expectans,
„ ubi neceſſario expectandum non erat,
„ Deum tentando irritarem; poſtero vero
„ die eo me ſummo mane contuli, reli-
„ quosque omnes antevertens proximum
„ carnificinæ locum occupavi. In eodem
„ ibi veſtigio hærebam, dum adeſſet Gar-
„ netus, tantus vero ab adventu Patris con-
„ curſus equitum fieri cœptus eſt, populi
„ numerus tantus utique fuit, ut captum
„ antea locum tenendi poteſtas non eſſet.
„ Itaque rejectus eo ſum, unde loquentem
„ exaudirem ægerrime, notavi tamen quæ-
dam,

dam, quæ mihi non parum ſolatii attule- „
runt. Illud primum fuit, induſium Pa- „
ter ſic aptarat, ut illud amictu omni per „
carnificem de more detracto nullus cœli „
ſpiritus eventilare poſſet, & caſta illi „
membra detegere, quod mihi magnum „
modeſtiæ & puritatis argumentum eſt vi- „
ſum. Alterum fuit, quod cum ſcalæ „
jam eſſent amovendæ, manibus in cru- „
cem compoſitis ante pectus, quamvis „
aliquantulum illæ demitterentur, crucis „
tamen effigiem ſupra cor Patris eousque „
expreſſerunt, donec ille extremum Deo „
ſpiritum redderet. Atque hoc eo mihi „
majorem admirandi materiam dedit, „
quod divinitus mihi conceſſum Patri vi- „
deretur. Ipſe enim moriens orarat „
Deum, ut ſibi a corde dominicam cru- „
cem nunquam avelli pateretur. Adverti „
præterea cum beati Martyris deciſum ca- „
put populo ſpectandum proponeretur, „
vultum omnino eundem fuiſſe, eundem „
colorem, qui vivo fuerat, ſpirantique. „
Denique hoc etiam memoria & cogni- „
tione dignum putavi, quod fauſtas populi „
acclamationes, quibus ille diuturnam „
Regi ſalutem tali in re ac tempore ſolitus „
eſt comprecari, audivi ſane nullas, quod „

 „ mihi

„ mihi indicio non levi fuit, populo jam „ tum Patris innocentiam fuiſſe & perſpe- „ ctam videlicet & probatam.

„ Membris quatuor in partes diſſectis, „ & una cum capite corbi impoſitis (ut de „ more gentis ſuo quæque loco affigeren- „ tur) ſeceſſit paulatim turba: ego propius „ accedens, medius inter currum & locum „ ſupplicii conſtiti, cumque ibi diutius „ perſiſterem, nec minori quam antea ſtu- „ dio flagrarem, nonnihil mecum reli- „ quiarum aſportandi, in manus mihi de- „ venit, neſcio quo pacto, illa nunc adeo „ celebris & mirabilis ſpica. De carnifici- „ na quidem in corbem, quo Garneti ca- „ put ac membra demittebantur, arida ſimul „ ſtramenta conjecta ſunt non pauca, utrum „ tamen ſpica hæc mihi de carnificina, an „ vero de corbe acceſſerit, nunquam au- „ ſim affirmare, id unum vere dixerim, „ hujusmodi ſpicam haudquaquam humo „ miſſam in me proſiluiſſe, cum antea hu- „ mi non jaceret. Hanc ego ſpicam eo- „ dem die Dominæ N. matronæ ob catho- „ licam pietatem ſpectatiſſimæ tradidi. Illa „ Cryſtallinæ incluſit thecæ, quæ cum bre- „ vior eſſet, factum eſt, ut ſpica levius „ inflecteretur. Paucis poſt diebus Domi-

na

na N. nobili cuidam viro ſibi perneceſ- „
ſario obtulit contemplandam, qui atten- „
tius intuitus, præter vultum, inquit, ho- „
minis aſpicio nihil. Novitate vocis in- „
expectatæ ego pariter & D. N. defixi, „
etiam ſpectaculo inhæremus, & quod „
ante minus adverteramus, humanum & „
ipſi vultum adſpicimus, quem alii præ- „
terea novæ hujuſce rei momento tempo- „
ris vel ſpectatores, vel teſtes advocati „
conſpexere. Atque hæc eſt veriſſima (uti „
Deus novit) Garnetanæ ſpicæ hiſtoria, cu- „
jus ipſe cognitionem divini honoris & „
gloriæ incrementum putavi, ſi minus in „
tenebris abdita deliteſceret, quin & illud „
in divinæ ſpem gratiæ nihil de me vel con- „
fitendum eſſe duxi, vel prædicandum, „
quod per triduum ejusmodi poſt ſpicam „
mihi divinitus comparatam, animo ſenſi „
me ſolito vehementius æſtuari, & cœle- „
ſti quadam luce non vulgariter impleri. „
Quem novum animum tenerem, non- „
niſi a Deo peculiariter manaſſe, conſtan- „
tiſſime credebam, ſingulari videlicet B. „
martyris merito ac beneficio, quem ego „
in cœlis videbar intueri, ut non infimis „
ſanctorum virorum ordinibus adſcriptum, „
ſic meritiſſima gloriæ laurea mirifice reful- „

„ gentem : quo tempore contigit, ut P. „ Hollando Societ. JEſu ſacerdoti, qui cum „ per id tempus forte verſabar, de rebus „ piis, beatique Patris Garneti morte Diſ- „ ſerenti omnino ſtatuerim Beatiſſimæ Dei- „ paræ Virginis opem ac preces (quas P. „ Garnet. fugiente jam ſpiritu ſuppliciter „ imploravit) artem eſſe unicam ad Numen „ humano ſcelere graviter commotum di- „ cto citius tranquillandum. Poſtero vero „ die iisdem animi ſenſibus inflammatus, „ magna quædam de divina gratia cogitare „ cœpi. Alias enim viſus ſum Dei juſti- „ tiam intueri adeo ſinceram & incorru- „ ptam, ut nemo ejus poſſet nutui refra- „ gari, alias mirificam ejusdem poteſta- „ tem, charitatem & bonitatem tantam „ erga res creatas omnes, ut utramque „ fortunam ſubire unusquisque, ſi ita Deo „ videretur, animo non forti ſolum, ſed „ æquo deberet. Ad hæc ſenſi peculiares „ quosdam in me motus exiſtere, adeo „ ardentes atque efficaces, ut ne mini- „ mum quidem ex humanis omnibus alio „ complecti ſtudio viderer, quam quo ipſe „ me diligebam, de me vero quaſi de vi- „ liſſimo capite humiliter omnino abjecte- „ que ſentire, neque unum omnium eſſe, cui

cui poſſem ſalvis legibus anteferri. Si „
quos forte pueros aliosve ludibrio eſſe „
cernerem, tantum divina in ipſis ima- „
gine capiebar, ut humi procumbens fi- „
nem nullum, ſi liceret, feciſſem illo- „
rum pedes oſculandi. Catholicæ Eccle- „
ſiæ veritas efficax admodum, & quæ Deo „
niteretur, longe clariſſima mihi videba- „
tur; honorem Sanctorum reliquiis & „
imaginibus habitum, nec non ceremo- „
nias, quæ inter Catholicos uſurpantur, „
& prodeſſe plurimum, & pietatem non „
leviter ſtimulare judicabam. His ad- „
didi, hæreſim eſſe ſatanæ illecebram ac „
laqueum, quo incautæ mortalium men- „
tes miſere capiuntur. Alia permulta, „
quæ mihi in mentem veniebant, ſilen- „
tio prætereo, quod valetudinis vitio „
adempta poteſtas eſt eorum memoriam „
repetendi. Hoc non omittam, quod „
cum antea non ſemel aut iterum divino „
me obſequio penitus totumque tradere „
deſtinaſſem, per id maxime tempus re- „
ligioſi famulatus conſilium, quippe ra- „
tum magis ac firmum, matureſcere vi- „
ſum eſt: cum autem dubitarem, quem „
potius eligerem, nunc ob oculos po- „
nens Carthuſianorum ordinem, nunc

S 5 „ alios

„ alios diverſos : Societatem Jeſu cæteris „ prætuli, in eaque ſtatui coadjutoris mu- „ nus exequi , de doctrina veritus, ne „ non ad ſacerdotium ſatis eſſet : verum „ deinde, cum ex nonnullis didiciſſem, „ doctrinam me cum ſtudio & exercitatio- „ ne aſſequi poſſe, huc ſerio animum ap- „ puli, unde protinus expeditis, quibus in „ Anglia implicitus eram, negotiis, quic- „ quid mihi forte evenerat, in pecuniæ „ ſummam coëgi, mecumque has in par- „ tes comportavi, ut ſtudiis operam na- „ varem, quæ velim, fratri meo ad hoc „ vitæ inſtitutum conferatur, qui tamen, „ ſi id nolit, erogetur eis, quibus hæc vi- „ vendi ratio in animo eſt, qua meo ju- „ dicio nulla Deo acceptior excogitari „ poteſt.

„ Equidem (immortales Deo gratias „ habeo) jam inde propoſitum ſtrenue urſi, „ unas ſolum accepi literas, quibus ſcri- „ ptum erat matrem, niſi eam reviſerem, „ dolori ſuccumbentem brevi eſſe moritu- „ ram, quibus lectis ambigere aliquan- „ tum cœpi, quid agendum eſſet: cum au- „ tem perendie Miſſæ ſacrificio intereſſem, „ in Evangelio lectum eſt : Qui reliquerit „ patrem aut matrem &c. propter me, cen- tuplum

tuplum accipiet in hoc mundo, & vitam „ æternam poſſidebit. Quo factum eſt, quæ „ Dei benignitas eſt, ut initum jam conſi- „ lium magis ac magis in dies ſingulos fir- „ maretur. „

Mendaciorum, e quibus totus hiſce liber conſtipatus eſt, indignitate motus Iſaacus Caſaubonus, mitiſſimi alias ingenii, & maximæ moderationis Vir (*u*), auctorem mendaciſſimum nebulonem, portentoſiſſimum falſarum rerum hamaxarium, certum & germanum Cretenſem, ὃ το ϛομα ἀρας καὶ πικρίας γέμει, vocare veritus non eſt, qui & hujuſce operis guſtum aliquem Frontoni Ducæo, ejusdem Ignatianæ ſocietatis ſodali, exhibet (*x*), mendacitatis & impudentiæ vela hic pandi, obtrectationi, maledicentiæ, virulentiæ & harum virtutum matri calumniæ egregie hic litari aſſerens. Ipſa quoque, contra quam Cretenſis ille ſpicula ſua direxit, actio in Henricum Garnetum, cæterosque, qui Jacobum Britanniæ Regem & Regni ordines pulvere fulminali e medio tollere conjurarunt, ex Anglico a G. Camdeno

(*u*) in Epiſtolis, a Grævio Magdeburgi editis in 4. p. 747.

(*x*) l. c. p. 786. ſqq.

deno Latine verſa, editaque Londini 1607. in 4. ad manus mihi eſt, rarius itidem obvia.

46. *Vita & Martyrium Edmundi Campiani Martyris Angli e Societate Jeſu. Auctore Paulo Bombino ex eadem Societate. Editio poſterior ab Auctore multis aucta partibus & emendata. Mantuæ, apud fratres Oſannas Ducales Impreſſores.* CIↃ IↃCXX. in 8. Raritatem hujus libri vel inde conjicies, quod in inſtructiſſimarum Bibliothecarum catalogis plerumque fruſtra eum quæras, pauciſſimisque (*xx*) citatum videas. Hanc ſolum editionem pro ſuo partu agnoſcere Auctor in præfatione indicat, lectorem ita compellans : *paucis te monitum volo, quæ ab hac Mantuana diſſentiant Campiani mei editiones a me pro meis non tolli. Fluxerunt illæ ab Antverpienſi prima, quæ a nimis benevolo curatore, inter imprimendum, me abſente, faciem alicui, quam pro mea neutiquam agnoſcerem, accepit. Et vero exempli non optimi res eſt, alienos libros ab arbitrariis quibusdam judicibus, quaſi liberos, parenti-*

(*xx*) Nec in Lexico Univerſali Baſilienſi, ubi Tom. I. f. 722. Campiani vita ſummatim enarratur, ejus fit mentio.

rentibus inauditis, indefenſos mutilari, aut peregrinis quibusdam notis inuri. Sub calcem operis hoc ſuæ ſuperſtitionis monumentum auctor poſuit: *Deo Laus B. Q. V. M. M. & Beatiſſimo noſtrorum Martyrum Anglorum Principi Edmundo Campiano.*

Una ſit merces operi, beate ô
Martyrum princeps mihi, Campiane,
Pectus intactum. Titulis id unum
Inſere noſtris.

47. *Cautio criminalis, ſeu de proceſſibus contra ſagas liber. Ad magiſtratus Germaniæ hoc tempore neceſſarius, tum autem Conſiliariis, & Confeſſionariis Principum, Inquiſitoribus, Judicibus, Advocatis, Confeſſariis reorum, Concionatoribus, cæterisque lectu utiliſſimus. Auctore incerto Theologo orthod. Rinthelii, typis exſcripſit Petrus Lucius typogr. Acad.* NDCXXXI. Hanc libri editionem rariorem eſſe ſcribit Celeb. Fr. Gu. Bierlingius (*y*), auctoremque ejus Fridericum Spee, Paderbornenſem, e Societate Jeſu, nominat.

48. *Far-*

(*y*) in Comment. de Pyrrhonismo hiſtorico. p. 238.

48. *Farrago poëmatum Haſiſteynii cum appendice epiſtolarum ejus per Thomam Mitem, Nymburgenum. Pragæ.* 1570. in 8. De hoc libro laudatus modo Bierlingius (*z*) conferri meretur.

49. *Inſcriptiones ſacroſanctæ vetuſtatis: non illæ quidem Romanæ, ſed totius fere orbis ſummo ſtudio ac maximis impenſis terra marique conquiſitæ, editæque per* Petrum *Apianum Mathematicum & Bartholomæum Amantium Poëtam Ingolſtadii* A. MDXXXIII. in fol. ex ea ratione minus obviæ mihi videntur, quod in ædibus Apiani, ejusque ſumtibus typis exſcriptæ fuerint. Privatam enim is typographiam domi habuit.

50. *Memoires pour ſervir a l' hiſtoire des Animaux.* Pariſ. 1671. in fol. maj. cum ſplendidiſſimis figuris. Opus idcirco rariſſimum, quod perpauca exempla ſint excuſa, eaque maximam partem inter optimatis aulæ Gallicanæ diſtributa. Neſcio an partem hujus operis vel ipſum opus efficiat *Repreſentation de quelques animaux, avec leurs anatomies, en* 38. *pieces, gravées par*

le Clerc

(z) l. c. p. 112. ſqq.

le Clerc & autres, quod volumen in Bibliotheca Du Boiſiana extitit (*a*).

51. *Exactiſſima Infantium in limbo clauſorum Querela adverſus divinum judicium apud æquum judicem propoſita. Apologia divini judicii contra Querelam Infantium. Infantium ad Apologiam divini judicii Reſponſio. Æqui Judicis ſuper hac re ſententia. Autore Antonio Cornellio Juris utriusque Licentiato doctiſſ. Lutetiæ apud Chriſtianum Wechelum in via Jacobæa ſub ſcuto Baſilienſi, anno* M. D. XXXI. *menſe Januario.* in forma quadruplici. De libro hoc rariſſimo conſulendus omnino eſt Vir ſummus P. Bælius (*b*).

52. *Emanuelis Chryſoloræ Erotemata Linguæ Græcæ, in compendium redacta a Guarino Veronenſi, & cum notis Pontici Virunii Ferrariæ apud Joannem Mazochum* A. 1509. in 8. impreſſa, tantæ ſunt raritatis, ut Bern. Moneta unicum duntaxat eorum exemplar Pariſiis, idque in Bibliotheca Mazariniana, extare autumet (*c*).

53. *L'Hiſtoire & plaiſante Chronique du Petit-Jean de Saintre.* A. 1523. d. 20.

(*a*) vid. ejus Catalog. P. I. p. 250.
(*b*) in Diction. Art. *Wechel.* f. 2862. ſq.
(*c*) in Menagian. Tom. III. p. 38.

20. Junii apud Philippum le Noir, literis Gothicis in 4. Libellus exiguæ quidem molis, ſed ob raritatem magno pretio vix parabilis, de quo diſſerit Bern. Moneta in Menag. Tom. III. p. 185. ſqq.

54. *Jacques Leſchaſſier Obſervation de la Renunciation au Vellejan.* Pariſ. 1598. in 8. *de la Repræſentation.* ibid. 1598. in 8. *Obſervation de la Digamie.* ibid. 1601. Libros ſatis raros appellat Vinc. Placcius (*d*).

55. *Pauli V. P. M. Excommunicationis ſententia adverſus Sereniſſimum Ducem ac Senatum & univerſum Dominium Venetum ob decreta ſua &c. Et pro iisdem diverſorum graviſſimorum Sereniſſ. Reip. Venetæ cum Theologorum tum JCtorum reſponſiones. Francof.* 1607. in 4. Hunc librum rarioribus annumerat, ejusque contenta recenſet idem Placcius (*e*).

56. *Conſilium Gregorio XV. exhibitum, cum præfatione & cenſura J. G. V.* 1623. in 4. Leidæ. *Joannem Gerhardum Voſſium*, verba ſunt Placcii (*f*) *elicit fultus etiam ipſius Voſſii filii Iſaaci autoritate Colomiez*

(*d*) in Theatro Anonym. fol. 103.
(*e*) l. c.
(*f*) l. c. f. 122.

miez Melanges Hiſtoriques pag. 34. *rarum librum aſſerens. Quod expertus adeo ſum, in nullo Bibliographorum, quos bene multos evolvi, eundem vel nominatum reperiens.*

57. *Adr. Baillet des Satyres perſonnelles ou des Anti. à Paris.* 1689. in 8. Raritatem hujus operis agnoſcunt Junckerus (*g*), Placcius (*h*) & Serpilius (*i*).

58. *Jo. Thrithemii Liber octo quæſtionum ad glorioſiſſimum Imp. Maximilianum I.* qui nec inter opera ejus hiſtorica 1601. Francofurti edita, nec inter opera ejus ſpiritualia a P. Jo. Buſæo Soc. Jeſu Moguntiæ 1604. in f. impreſſa extat; ſed tantum inter Paralipomena Opuſculorum Petri Bleſenſis & Jo. Trithemii a jam laudato P. Buſæo Moguntiæ typis Balthaſaris Lippii A. 1605. in 8. edita, ideoque ob raritatem ſuam minus eſt cognitus, judice P. Lambecio, in Lib. II. de Bibliotheca Cæſar. Vindobon (*a*).

(*g*) im Guldenen und Silbernen Ehren-Gedächtniſs Lutheri p. 5.

(*h*) in Theatro Anonym. f. 182.

(*i*) in Epitaphiis Theologorum Suevorum. p. 20.

(*a*) vide Reimmanni Bibliothecam Acroamaticam, pag. 177. ſq. unde hæc hauſimus.

59. *Georg. Batei Elenchus motuum nuperorum in Anglia cum Thomæ Skynneri continuatione* in ipſa etiam Anglia ſumme rarus eſſe dicitur Aulo Apronio (*b*). Eorum, quæ Bateum agnoſcunt auctorem, editio Amſtelodamenſis An. 1663. in 12. mihi ad manus eſt. In prima parte ſimul Juris regii & parlamentarii brevis enarratio, in ſecunda de Caroli II. Regis mirabili e prælio Wigorniæ effugio relatio exhibetur.

60. *Biblia Sacra ex Sanctis Pagnini translatione, ſed & ad Hebraicæ linguæ amuſſim ita recognita, & Scholiis illuſtrata, ut plane nova editio videri poſſit. Lugduni apud Hugonem a Porta.* A. 1542. fol. In hac editione curanda Mich. Servetus, Villanovani nomine uſus, correctoris officio functus eſt, qui & præfatione ac notis marginalibus, quas Calvinus alicubi impertinentes & impias vocat, eam inſtruxit. Biblia hæc rariſſima nominat Michael de la Roche (*c*), ue unicum quidem exemplar a ſe indagari potuiſſe aſſerens. Hinc etiam atque

(*b*) in Itinerario Germanice ſcripto. p. 84.

(*c*) Bibliotheque Angloiſe Tom. II. Part. I. pag. 91. ſq.

que etiam ſuos lectores obſecrat, ut, qui iſta (*d*) poſſident, nec non Geographiam Ptolomæi, ejusdem Serveti cura editam, pariterque haud facile obviam, ſecum communicent, quæ vel in præfatione vel in notis ſint memorabiliora. Fortaſſis publica auctoritate ex odio Serveti, aut ſaltim indefeſſo Calvini, hoſtis ejus acerrimi, ſtudio hi libri ſuppreſſi ſunt, ac hominum oculis ſubtracti.

Pſalter des Küniglichen Propheten Davids geteutſcht nach warhafftigem Text der Hebraiſchen Zungen. Impreſſum Auguſtæ Vindel. An. 1523. ſumtibus Doctoris Sigismundi Grymm in 8. Verſio hæc rariſſima debetur Caſparo Ammano, Theol. Doctori, qui eam Joanni Böſchenſtainio Eslingenſi, ſuo in Hebraicis præceptori, inſcripſit. In fine acceſſit ejusdem hymnorum aliquot Biblicorum & Böſchenſtainii precum Salomonis 1. Reg. VIII. 23. ſeqq. ex fontibus translatio Germanica, viciſſim Ammano dicata. En tibi quædam ex Pſalterio ſpecimina! Pſalm. II. 1. ſqq. *Warum habent geſtürmt die Geſchlächt und die Völcker werdend*

T 2

(*d*) unum adſervari in Bibliotheca Cardinalis Imperialis, ex ejus Catalogo cognovi.

dend rhöden eytelkhait. Sye werden ſich thon ſtellen dye Khünig des erdtreichs, und dye Secretarii haben ſich berathen mit ain ander, wider GOtt und ſein Geſalbten. Wir wöllen zerbrechen yre Bundtremen, und wellen hinwerfen von uns yre dicke ſailer. v. 7. *Ich wird erzölen das Geſatz Gottes, Got hat geſagt zü mir, mein Sun biſt du, ich hab heut geadelt dich.* Pſalm. XXIII. 1. ſq. *Got iſt mein hirt, ich würd nit geprechenhafftig. In die Wonungen des Graſs er thon hauren mich. auff den Waſſern der rüwungen würt er füren mich.* v. 4. *Auch ob ich gan wird in dem tal des ſchatten des tods, ſo wird ich nit fürchten das böſs, wann du biſt bey mir, dein ſtab und dein Kruck die werdend tröſten mich.* Pſalm. LVIII. 5. *Ir Zorn iſt gleich dem Zorn der ſchlangen, als ainer ſtumende nater die do würt verſchoppen ir or.* Pſalm. LXXIII. 25. ſq. *Was iſt zü mir im himmel, und bey dir nichts würt mich geluſten auf erdtreich. Volendet iſt mein flaiſch und mein hertz, ain ſtörkin meins hertzes und mein tail iſt Got ewigklich.*

62. In hujuſce opellæ parte III. p. 166. ſqq. nonnulla de *Æg. Gutmanni Offenbahrung Göttlicher Majeſtät* dixi, tum adhuc dubius, num ſecunda ejus editio, quæ Franco-

Francofurti vel potius Halberſtadii A. 1675. prodiit (*e*), æque rara ſit, ac prior. Interim vero ex Celeberrimi Reimmanni Introductione in hiſtoriam litterariam Germanorum (*f*), omnia ejus exemplaria, pauciſſimis elapſis, publica auctoritate ſuppreſſa, ac fiſco adjudicata fuiſſe, comperi.

63. Vix usquam conſpicies quinquaginta quinque *Epigrammata* Græca & Latina *in Paulum V.* Pont. Max. qui Pariſiis A. MDCVIII. die XXII. Nov. quendam, Bartholomæi Burgheſii nomine ſe pro ejus filio venditantem, comburendum curaſſe traditur, unicam tantum philyram complentia, in forma octuplici absque anni locique nota edita, arguta omnia, pleraque vero aculeatiſſima. Ut aliquem eorum guſtum habeas, en tibi quædam ex iis, quæ minus acerba videntur.

(*e*) non Amſtelodami, uti l. c. Celeb. Struvium ſecutus dixi.

(*f*) Lib. II. Sect. III. p. 415. b. ubi quoque ex Colbergio, quendam Ducem Wirtembergenſem aliquot mille florenorum pretio huncce librum deſcribendum ſibi curaſſe, refertur.

XVI.

Maluit Herodis porcus quam filius eſſe,
Impoſuit durum, qui tibi, Roma, jugum.
Si foret hoc Pauli Cæſar dilatus in ævum,
Mula Papæ is mallet, quam ſatus eſſe Papæ.

XXXI.

Igneus eſt flamen Jovialis in urbe Quirini,
Ejus ut in Venetos fulmina jacta docent.
Illa quidem in ventos. Iterum arripit igneus ignes,
Atque urit gnati viſcera ſacra ſui.

XXXV.

Pontificis magna eſt Pauli omnipotentia: quid ni?
Quem fecit gnatum, non facit eſſe ſuum.

XLI.

Burgheſius.

Pendeo. Dic, qui ſis? pater eſt mihi Papa. quis ille?
Romanus, quonam nomine? Burgheſius,
Qui factum? me non agnovit. Quid? nothus ergo es?
Immo, legitima conjuge Papa caret.
Sed cur conflagras flammis? id moris habetur.
Ut quem Papa neget noſcere, flamma voret.

LI.

Quem dedit ante Venus, Veneris nunc, Paule marito
Burgheſium reddis, nonne amor ille calet?

Cenotaphium Bartholomæi Burgheſii, in quem nuper ultimo laquei ſupplicio ignisque ſævitum eſt Lutetiæ Pariſiorum die XXII. menſis Novemb. CIↃ IↃCVIII. *quod ſe diceret filium Papæ, qui nunc ſedem occupat, Pauli V.*

Ne quære nomen tu, neſandum ne audias,
Quod me perire fecit. Opereat male
Nomen! quod ipſum vita dum negat mihi
Invito, iniqua mors dat ecce poſthumum.
Aëre pependi, poſt crematus ignibus,
Deinde eſt in auras ſparſus atque aquas
cinis,
Et ſic jacens ubique jaceo nullibi:
Quæ eſt dicta demum pœna Papæ filiis.
Vos ſapite Reges, & cavete dum licet.

Tantum hac vice de libris rarioribus. Alio tempore D. V. plura dabimus.

XII.

ADDENDA
ET
EMENDANDA.

PRæter alia minoris momenti errata in Parte III lege p. 34. lin. 18. pro anguſtæ anguſti. pag. 54. lin. 2. pro ſextus l. ſeptimus. p. 147. l. 6. pro exemplo l. extemplo. p. 149. l. 20. pro Mucentio l. Mucantio. p. 170. lin. 21. pro reſciſſeret l. reſciſceret. p. 171. l. 10. pro ſex ex & alabaſtro l. & ſex ex alabaſtro. p. 235. l. ultima pro ſtromata l. ſcommata. p. 281. ſq. duplici vice Hermippum in Hermiſpum transformavit typotheta. p. 290. l. 20. pro ἐξεσιας l. ἐξεβιας.

Part IV. p. 303. lin. 7. pro Scama l. Scema, quod pro ſchema poſuit poëtaſter. pag. 550. l. 7. pro comes l. cuneo.

Ad Part. III. p. 275. ſq. De Joanne Keilio legi omnino meretur Clar. Lud. Melch. Fiſchlinus in Supplem. ad Memor. Theolog. Wirtembergenſ. p. 208. ſqq.

Ad Part. IV. p. 303. Carmen hoc jam adjectum eſſe Juſtiniani Inſtitutionibus, Moguntiæ A. 1468. cum Gloſſis in fol. per Petrum Schœfferum excuſis, e lexico Univerſali Baſileenſi didici. Part. I. f. 646. artic. *Buchdruckerey*, & Part. II. f. 629. art. *Guttenberg* (*Johannes*), quanquam in fine a noſtro paulalum diſcrepare videatur.

Ad pag. 501. ſqq. Epiſtola Pii IV. Pont. Max. licet typis exſcripta jam alias fuerit, nimirum in Epiſtolis Gallicis amœbeis Leibnitii & Peliſſonii de Tolerantia Religionum, & de controverſiis quibusdam theologicis, quas in Otio ſuo Hanoverano ſive Miſcellaneis Leibnitianis recudi curavit Vir Celeb. Joach. Frid. Fellerus, ubi p. 360. ſeqq. illud Pii Breve exhibetur: nec non inter literas ſecretiores Ferdinandi I. pro obtinenda eucharistia ſub utraque in gratiam Maximiliani II. ad Pium IV. miſſas, cumque aliis huc ſpectantibus a Venerabili Abbate J. A. Schmidio Helmſtadii A. 1719. in 4. vulgatas, pag. 31. ſqq. nondum tamen eam epiſtolam meæ opellæ inſeruiſſe pœnituit, quia brevis eſt & maxime memorabilis, ac ob argumenti affinitatem merito literis Jo. Philippi Archiepiſcopi & Electoris Mogunt. quas pag. 507. dedimus, jungenda. Heic

vero

vero obſervare lubet, Breve iſtud, quod vocant, Pii circulare fuiſſe, ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Germaniæ miſſum. Laudatiſſimis autem illis Ferdinandi conſiliis vehementer obſtitiſſe Philippum II. Hiſpaniarum Regem, ex Epiſtolis amœbeis Leibnitii & Peliſſonii modo citatis p. 403. ſqq. cognovi. Hinc Pius in epiſtola ad Archiepiſcopos & Epiſcopos, quorum diœceſi ſubjectæ erant regiones vel urbes, Philippo parentes, diſerte excepit partes, in quibus Rex ille temporale dominium aut jus aliquod habuit (vid. Amœn. lit. P. IV. p. 504.), cum ad alios hujus non meminerit, vid. Literas Ferdinandi &c. a D. Schmidio editas pag. 33.

Ad Part. V. p. 57. B. Dürrius in Diſſert. Epiſt. ad Perilluſtrem Führerum ab Haymendorff, ſeptemvirum quondam Reip. Noribergenſis &c. mirum eſſe ait, quod Philippus Melanchthon Fauſti præſtigiatoris mentionem haud fecerit, cum ejus circiter ævo vixiſſe tradatur. Producam igitur locum ex Jo. Manlii Locorum communium collectaneis, ex lectionibus præcipue Melanchthonis hauſtis, pag. 38. ſq. edit. Budiſſ. Anno 1565. ubi ſequentia de eo narrantur:

Novi

„ Novi quendam nomine Fauſtum de „ Kundling, quod eſt parvum oppidum, „ patriæ meæ vicinum. Hic cum eſſet „ ſcholaſticus Cracovienſis, ibi magiam di- „ dicerat, ſicut ibi olim fuit ejus magnus „ uſus, & ibidem fuerunt publicæ ejuſdem „ artis profeſſiones. Vagabatur paſſim, dice- „ bat arcana multa. Ille Venetiis cum vel- „ let oſtendere ſpectaculum, dixit ſe volatu- „ rum in cœlum. Diabolus igitur ſubve- „ xit eum, & afflixit adeo, ut alliſus humi „ pene examinatus eſſet: Sed tamen non „ eſt mortuus. Ante paucos annos idem „ Joannes Fauſtus, poſtremo die ſedit ad- „ modum mœſtus in quodam pago duca- „ tus Wirtenbergenſis. Hoſpes ipſum al- „ loquitur, cur mœſtus eſſet præter mo- „ rem & conſuetudinem (erat alioqui tur- „ piſſimus nebulo, inquinatiſſimæ vitæ, ita „ ut ſemel atque iterum pene interfectus „ ſit propter libidines) ibi dixit hoſpiti in „ illo pago: Ne perterrefias hac nocte. „ Media nocte domus quaſſata eſt. Mane „ cum Fauſtus non ſurgeret, & jam eſſet „ fere meredies, hoſpes adhibitis aliis, in- „ greſſus eſt in ejus conclave, invenitque „ eum jacentem prope lectum inverſa fa- „ cie, ſic a diabolo interfectus. Vivens

adhuc habebat ſecum canem, qui erat „
diabolus, ſicut iſte nebulo qui ſcripſit „
de vanitate artium etiam habebat canem, „
ſecum currentem, qui erat diabolus. Hic „
Fauſtus in hoc oppido Wittenberga eva- „
ſit cum optimus Princeps Dux Joannes „
dediſſet mandata de illo capiendo. Sic „
Norimbergæ etiam evaſit, cum jam inci- „
peret prandere, æſtuavit, ſurgitque ſta- „
tim, ſolvens quod hoſpiti debebat, „
vix autem venerat ante portam, ibi „
veniunt lictores, & de eo inquirunt. „
Idem Fauſtus magus, turpiſſima beſtia, „
& cloaca multorum diabolorum, vane „
gloriabatur de ſe omnes victorias, quas „
habuerant Cæſariani exercitus in Italia, „
eſſe partas per ipſum ſua magia. Idque „
fuit mendacium vaniſſimum. Id enim „
dico propter juventutem, ne ſtatim „
talibus vanis hominibus aſſentiantur. „
Ingenue tamen fateor, me nondum a me impetrare poſſe, ut narratiunculas has aliasque de Fauſto e fabellarum anilium numero eximendas eſſe cenſeam. Manlii enim fidei non adeo multum tribuendum; cum ſua absque judicio conſarcinaverit, atque plura alia Melanchthoni adſcripſerit, quæ ab eo dicta fuiſſe minus eſt veriſimile.

Non

Non igitur dubito, has relationes eodem habere loco, quo eam, quam immediate his de Trithemio præmiſit: Abbas Trithemius Spanheimenſis fuit magnus magus; in quodam forte itinere (ſicut mihi Pirchaimerus narravit) cum veniſſet in diverſorium non bene inſtructum, quidam per jocum dixerunt: Domine Abbas, cura nobis bonum ferculum piſcium; iſte tantum pulſavit feneſtram, ac ſtatim venit quidam portans lanceam inſtructam luciis coctis. Digniſſima certe hiſtoriola, quæ a garrulis nutricibus puerulis plorantibus ad nauſeam usque præcinatur! Cæterum egregia ſunt, quæ magnæ eruditionis ac exquiſiti judicii Vir, D. Frid. Guil. Bierlingius de Fauſto habet in Comment. de Pyrrhonismo Hiſtorico p. 158. ſeqq.

Ad pag. 81. ſqq. Paralipomena ad Jo. Aventini Annales Bojorum, quæ nec in aliis, nec in Celeb. Gundlingii editione reperiuntur, in Actis litterariis ex Manuſcriptis erutis, Faſcic. VIII. p. 20. ſqq. publicavit illuſtris B. G. Struvius ex editione ejus operis Cisneriana Baſil. A. 1580. quam Bibliothecæ publica Jenenſis poſſidet, & in cujus frontiſpicio margineque ea adſcripta ſunt.

Jo

Jo. Aventini vita Germanico idiomate conſcripta legitur in Parnaſſo Boico ſive *Neu-eröffnetem Muſen-Berg, worauff verſchidene Denk-und Leſwürdigkeiten aus der gelehrten Welt, zumalen aber aus denen Landen zu Bayrn, abgehandlet werden.* Part. VII. p. 28. ſqq. Opus hoc publicæ luci exponitur Monachii, complectens varias obſervationes philologicas, hiſtoricas, geographicas, genealogicas, literarias &c. Ibi annus Aventini natalis p. 30. dicitur MCCCCLXXVII. ex quodam ipſius Manuſcripto, cum Zieglerus contra A. CIↃ CCCC LXVI. natum eum fuiſſe tradiderit. pag. 34. memoratur, varios Codices Manuſcriptos, ipſi ex Bavariæ Monaſteriis Principum commendatione conceſſos, Bibliothecis, unde petiti erant, ab eo reſtitutos haud eſſe, inque Electorali Bibliotheca extare Catalogum Manuſcriptorum alicujus Monaſterii, cui ſequentia inſcripta ſint: *Aderat ante multos annos Joannes Aventinus, & Collega ipſius Caſpar Bruſchius, qui libros præcipuos hinc ad aulam ſecum abduxerunt, quos Monaſterio necdum reſtitutos pernovimus, eosque Monaſterii titulo inſignitos ſcimus.* In eadem Bibliotheca Aventini Apparatus, ex Manuſcriptis & publicis monumentis collectus, tribus vel quatuor

quatuor tomis, iisque haud exiguis conſtans, adſervari p. 41. nunciatur.

Ad pag. 97. ſqq. λείψανα illa Lambeciani operis, ab Illuſtri, Uffenbachio mecum gratioſe communicata, jam typis exſcripta fuere, duas plagulas implentia, ſed pro ineditis fere habenda ſunt, cum jam nusquam compareant.

Erratorum extantiorum, quæ ob auctoris a prælo abſentiam irrepſere, index in parte ſequenti exhibebitur.

F I N I S.